IMPOSTURÆ
LIBELLI ANONYMI
CUI TITULUS:
Accusatio & Querela Populi Belgici &c.

PER

JOANNEM OPSTRAET

ET EOS

QUI ACCUSANTUR

REFUTATÆ,

ET

Doctrina Accusatoris Denuntiata.



LEODII

Ex Typographia HENRICI HOYOUX Anno 1698.

Cum Approbatione.

IMPOSTURÆ LIBELLI ANONYMI &c.

§. I.

Detegitur impoſtura latens in titulo: *Accuſatio & Querela Populi Belgici de quibuſdam ſuis Paſtoribus & iis, à quibus tales inſtructi fuerunt* &c.

AB ipſo titulo impoſturas ſuas ordîtur Accuſator anonymus. Opus ſuum, *Accuſationem & Querelam Populi Belgici*, inſcribit: & nihil minus eſt, quam *Accuſatio & Querela Populi Belgici.* Sed myſterium hoc Orbi exponendum eſt.

Jam anni ferè ſunt duo, cum Eximius Pater DESIRANTIUS, fortè intelligens non ſuccedere ſibi ex voto Propoſitionum Examen quas detulerat, Sacræ Congregationi in Urbe ſupplicavit, ut illud pauliſper ſiſteretur; pollicitus fore ut in Belgium redux collectum iret abuſus & ſcandala varia, quæ ex Propoſitionum noſtrarum doctrina apud Populum Belgicum naſci aiebat. Rediit; Catholicum Belgium & Provincias fœderatas peragravit; Inquiſitionem ſine authoritate, ſed non ſine turbis inſtituit; Ingentem abuſuum & ſcandalorum acervum minabatur: Et ecce poſt tantum itineris, laboris, ac temporis, quo ivit parturiens, non edit in lucem niſi Scriptum, in quo nihil prorſus eorum, quæ promiſerat, invenîtur.

Obſtupuit Roma cum ſe ſub ſpecioſo titulo deluſam vidit, & pro *Accuſatione & Querela Populi Belgici*, non niſi antiquam Accuſatoris crambem, ad nauſeam jam in Urbe coctam recoctamque, in toto Scripto deprehendit. Sed titulum dare voluit, dum non potuit præſtare rem; & apud eos ſaltem fidem ſe habiturum ſperavit, qui ipſius fide nixi ex ſolo titulo de Opere judicarent.

Sed ipſum audiamus pro ſuo titulo argumentantem in Memoriali ad SS. Dominum quod *Accuſationi* præfigit, ubi plenam ſibi hac in re cum Hennebello concordiam eſſe confidenter affirmat. Argumentum ipſius eſt ejuſmodi: "Ipſis fatentibus (in Motivo Juris pro " Clero Mechlinienſi) *Cæperunt peſſimi quique adverſus Paſto-" res ſuos ſe erigere... Hic negatam ſibi publicè Euchariſtiam; " Ille, ægrotanti Amico negari Viaticum; Alius, differri ſibi " abſolutionem; Alius, procraſtinari ſibi adminiſtrationem Matri-*

"*ſuorum rigorem accuſant:* Ergo accuſatricem ſuam agnoſcunt "vocem Populi."

Numquid digna eſt hæc Accuſatore conſequentia ? Digna prorſus, quæ cæcam ipſius in accuſando libidinem redarguat. Cæcum enimverò eſſe oportet, qui ſic argutetur: "*Omnes* (peſſimi) *nimi*"*um Paſtorum ſuorum rigorem accuſant:* Ergo nimium Paſto"rum ſuorum rigorem accuſat Populus." Nemo enim aliud inferat, quam: Ergo nimium Paſtorum ſuorum rigorem accuſant peſſimi de Populo.

Itaque ſi plenam ſibi hac in re cum Hennebello concordiam jactare velit Accuſator Querulus, debet Opus ſuum inſcribere, ACCUSATIO ET QUERELA PESSIMORUM QUORUMQUE è POPULO BELGICO: Quem titulum neque nos ipſi invidebimus, neque bonus ullus è Populo Belgico queri poterit ſibi imponi.

§. 2.

Confutantur aliæ Impoſturæ tres, quas habet Accuſator in Memoriali ad SS. Dominum, Accuſationi *præfixo.*

PRima eſt: *Quod de gratia efficaci nulla niſi ſcholaſtica in Belgio fuerit contentio.* Sed ipſam Accuſatoris fidem appello.

1. Si *de gratia efficaci nulla niſi ſcholaſtica in Belgio fuerit contentio:* quâ fide ipſe, ut tueretur rejectas à Sede Apoſtolica Formularii *Additiones*, totis duobus annis 1692. & 1693. accuſavit Belgas Theologos, quorum cauſam in Urbe agit Doctor Hennebel; *quod gratiam neceſſitantem defenderent; quod Calviniſmi reliquiis delectarentur; quod genuinam gratiam per ſe efficacem à Calviniſmo diſtinguere neſcirent*? De his enim eos accuſavit in variis ſcriptis, quæ coram Sede Apoſtolica eo tempore exhibuit.

2. Si *de gratia efficaci nulla niſi ſcholaſtica in Belgio fuerit contentio:* cur ipſe in Theſi, quam edidit 14. Junii 1684. ſic queſtus fuit: *Pars una nihil auribus inſonabat noſtris, quàm Janſenianam eſſe efficacem illam gratiam, quæ in delectatione juſtitiæ conſiſtit?*

Et in proœmio Theſis editæ 15. Decemb. 1687. *Fideles Auguſtini diſcipulos jam tandem paſſim audire Janſeniſtas?* Nullæne ſunt hæ contentiones, niſi ſcholaſticæ?

3. Numquid prætereà probè noverat, jam dudum Moliniſtas apud

apud Magistratus seculares, & in ipsa Aula suæ Majestatis Catholicæ egisse, ut nullus in Academia Lovaniensi ad munia admitteretur, quem ipsi de Jansenismo notassent? Notasse autem omnes, etiam Religiosos Ordines, qui gratiam per se efficacem tuentur? Extat adhuc Memoriale ipsorum, quod jam ab annis aliquot Regi Catholico oblatum est.

4. An demum ignorabat, non ita pridem tunc, cum hæc dicebat, prodiisse in Belgio varios libros sub fictis nominibus *Joannis ab Isselstein*, *Didaci de Oropega*, *Cornelii à Cranenbergh*, aliorumque, in quibus doctrina de gratia per se efficaci tamquam à Summis Pontificibus damnata traducitur?

Prorsus ut non intelligam, quâ fide Auctor querulus dicere potuerit, & quidem apud Summum Pontificem: *Quod de gratia efficaci nulla nisi scholastica in Belgio fuerit contentio.*

At istud magis miror, quod assertionis istius testem adducere non vereatur Hennebellum in prima Thesi Historico-Theologica §. 7. citatis his ejus verbis: *Exultavimus quidem in Domino, dum vidimus Patres Societatis Lovanii constanter docentes, gratiam per se efficacem non esse damnatam:* Nam eodem paragrapho præmittitur, ac deinceps fusè ostenditur, Patres illos, *quod unâ manu largiuntur, alterâ rapere*, dum hinc quidem gratiam per se efficacem, nomine tenus, ut orthodoxam & ab omni censura immunem agnoscunt; indè verò eandem ab Apostolica Sede in quinque propositionibus proscriptam, & sub sensu Jansenii hæreseos damnatam contendunt: ut tunc recens contendebat *Cornelius à Cranenbergh* à S. Congregatione S. Officii proscriptus.

Altera in eodem Memoriali Impostura est circa turbarum Originem in Belgio. Negat aliquam in Belgio turbam ortam esse ex contentione de gratia efficaci; aitque nos ingenuè confiteri, totam hanc tempestatem ortam esse à Querela & Accusatione Populi.

Verùm quod ad contentionem de gratia efficaci attinet, ex jam dictis statui potest, quot ea turbarum origo fuerit, dum, ipso Accusatore teste, *fideles Augustini Discipuli passim audiebant Jansenistæ;* Jansenismi autem prætextu ab omnibus muniis, officiis, & dignitatibus repellebantur: donec tandem SS. D. N. Innocentius XII. per Breve Apostolicum die 6. Februarii 1694. turbas composuit, tutosque à suspicione Jansenismi reddidit gratiæ per se efficacis Defensores, modò quinque propositiones *in sensu obvio* damnarent.

Quod verò dicit, nos ipsos ingenuè confiteri, totam hanc tempestatem ortam esse à Querela & Accusatione Populi, id eâdem consequentiâ dicit, quâ Opus suum *Accusationem & Querelam Populi Belgici* inscribit. Neque enim confitemur, populum Belgicum, sed PESSIMOS quosque è populo Belgico, de Pastoribus suis questos esse: Ex quâ confessione aliud conficere non poterat, quàm tempestatem ortam esse à Querela pessimorum quorumque è Populo Belgico. Quod ei libenter concedimus.

Tertia Impostura est, quod Pastores quidam è nostris animi sui sententiam perniciosè dissimulaverint, *putando aliter & aliter practicando, ut authoritatem, nomen, & pecunias suas conservarent.* Infert hoc ex *Motivo Juris pro Clero Mechliniensi*, quod ita habet: *Coguntur* (Pastores) *vel pessimis hominibus obsequi, vel litem cum certo condemnationis periculo sustinere, vel administrationem Sacramentorum aliis, quibus ab Archiepiscopo committebatur, relinquere. Hinc incredibile quantùm Pastorum zelus refrixerit; cum obsistente sibi tum plebe, tum Archiepiscopo, satius ferre existimant ut aliquod disciplina Ecclesiastica detrimentum patiatur, quàm ut cum certa authoritatis, & nominis sui, & pecuniarum jactura ad Tribunal Episcopale provocarentur.*

Sed nihilo meliùs argumentatur, quàm prius. Tantum enim abest ut animi sui sententiam dissimulaverint Pastores illi, ut econtra eam apertissimè professi sint. Si enim mallent administrationem Sacramentorum aliis relinquere, quam ipsi ea contra suam conscientiam administrare; manifestè suam de administrandis Sacramentis sententiam prodebant.

Neque accusari possunt, quod *satius ferre existimaverint ut aliquod disciplina Ecclesiastica detrimentum pateretur, quam ut cum certa authoritatis & nominis sui & pecuniarum jactura ad Tribunal Episcopale provocarentur:* Nam nemo est nisi Theologiæ & disciplinæ Ecclesiasticæ planè rudis qui neget, quin aliquando non modo licitum, sed & necessarium sit, præcipiente ac cogente Episcopo, administrare alicui Sacramentum v. g. Eucharistiæ vel Matrimonii, cui alioquin administrans juxta propriam sententiam illud negandum vel differendum censeret. Neque tunc ob vanitatem authoritatis vel nominis conservandi, aut lucrum pecuniarum, propria animi sententia dissimulatur; sed causâ pacis Ecclesiasticæ Episcopis reverentia exhibetur.

§. 3.

§. 3.

Retunditur Impostura, quam Accusator nobis impingit in Præfatione ad Eminentissimos ac Reverendissimos Dominos.

CAlumniosam hic de nobis suspicionem ingerit, quasi articulum illum fidei Catholicæ, *Credo Remissionem peccatorum*, restringeremus; factâque distinctione inter remissionem peccatorum *parvorum & magnorum*, *primorum & iteratorum*, plenam omnium peccatorum remittendorum potestatem in Ecclesia negaremus.

Calumniæ occasionem ex eo acceptam puto, quod doceamus, prudentem Confessarium debere inter peccata *magna & parva, prima & iterata*, distinguere; nec pari facilitate posse promiscuè omnibus absolutionem impertiri.

Si hoc sit articulum illum, *Remissionem Peccatorum*, restringere, impii ausus reos nos esse agnosco; si sit illum Catholicè interpretari, immanis calumniæ reus est Accusator: Nisi alias, easque certissimas, tam gravis criminationis probationes attulerit.

§. 4.

Reprimitur impostura gravissima de Censuris, quas propositionibus nostris palam inurit Accusator.

PEr Accusationem totam Censuras atrocissimas exhibet Querelæ Auctor, quas propositionibus nostris inustas esse affirmat. Et ne dubitaretur, an Censuras illas ponat tamquam privata quorumdam judicia, an ut Censuras Sedis Apostolicæ; dubitationem omnem sustulit Desirantius die 12. Julii 1698. dum in lectione publica coram frequentissimo Academicorum, quos palam invitaverat, cœtu asseveranter dixit:

1. *Viginti octo propositiones suorum Adversariorum esse Romæ censuratas, approbantibus Summo Pontifice & Cardinalibus.*
2. *Se illarum censuras penes se habere.*
3. *Undecim ex illis selectas esse ad publicandum.*
4. *Hæc se publicare coactum à Rege & Pontifice.*

Ecclesiæ & Reipublicæ interest scire, an hæc vera sint. Si enim vera sint, potestatis Ecclesiasticæ & secularis iram meremur, qui censuris istis non acquiescimus: sin falsa, ab utraque etiam potestate coercendus & castigandus est Accusator, qui censuras istas promulgando Ecclesiam & Rempublicam perturbat, totique Orbi Catholico perniciosè imponit. Rem itaque discutiamus.

Argumentum adversus Accusatorem ineluctabile, est ipsum Breve Apostolicum datum ad Episcopos Belgii 24. Novembris 1696. *Quod pertinet*, ait Summus Pontifex, *ad* PENDENTES *controversias circa administrationem Sacramentorum, donec aliquid specialius decernatur, ab iisdem Episcopis advigilandum est, ut juxta Sanctiones Canonicas, statuta Conciliorum, & praxim Ecclesiæ administrentur, habitâ casuum atque eorum circumstantiarum ratione. Etenim in præsens magnâ sollicitudine discussioni propositionum, quæ inter alias abundè delatas ad hoc argumentum spectant, adlaboratur à Consultoribus & Qualificatoribus supremæ hujusce Inquisitionis, qui omnes sunt pietate ac doctrinâ præstantes.*

Ex quo sic ratiocinamur: Si *controversiæ circa administrationem Sacramentorum adhuc pendentes* sint; si usque *in præsens magnâ sollicitudine discussioni propositionum illarum adlaboretur;* si *discussioni* adhuc *adlaboretur à consultoribus & qualificatoribus:* quâ veri specie dici potest, eas jam censuratas esse, approbantibus Summo Pontifice & Cardinalibus? An post censuram summi Pontificis & Cardinalium adhuc pendent controversiæ? An propositiones à summo Pontifice & Cardinalibus censuratæ adhuc à Consultoribus & Qualificatoribus discutiuntur?

At fortè post Breve Apostolicum censuræ latæ sunt.

R. Novit ipse, se circa Novembrem 1696. paulo antè datum Breve Apostolicum, Sacræ Congregationi supplicasse, ut propositionum discussio sisteretur: scit supplicationi suæ annuisse S. Congregationem, & in hunc usque diem earum discussionem stitisse: proindè nec ignorare debuit, censuras in hunc usque diem, approbantibus summo Pontifice & Cardinalibus latas non esse.

Accedit aliud argumentum, quod *ad hominem* vocant, desumptum ex nupero *Specimine Dispositionis*, quod edidit Doctor Steyaert, ubi hæc in Romam indignabundus effutit: *Nimirum faverat ipsis Roma ad invidiam: Omnia ipsis contraria passim proscripserat:* NIHIL PENE QUOD IPSORUM ESSET AUT PUTARETUR.

Ex quibus brevissimâ consequentiâ conficitur: *Ergo Roma non proscripsit viginti octo propositiones, quæ aut nostræ sunt, aut nostræ esse putantur.* Si enim illas proscripsisset, verum non foret, eam nihil penè proscripsisse quod nostrum esset aut putaretur.

Sed estne credibile, Virum Religiosum, Sacerdotem, S. Theologiæ Doctorem & nuper Episcoporum Belgii in Urbe Deputatum, eò venisse

nisse temeritatis, ut nisi de re ista certus foret, auderet non solum in lectione publica coram innumeris testibus id asserere; sed etiam scriptis publicis coram Orbe toto promulgare: præsertim cum non multò post imposturam detectum iri ignorare non posset? 113

R. Opstupui ad hæc fateor: sed non minus aliquando obstupui, dum non minus falsa Opstratio affinxit. Duo hìc Specimina proferam.

Accusabat inter sexaginta & unam propositiones hanc, quæ erat trigesima tertia: *Partem etiam non exiguam hujus sollicitudinis habent Theologorum Confessarii, utpotè qui præcipua vocationis signa, probitatem scilicet & spiritum ipsorum interiorem optimè possint habere perspecta, qui proindè ante omnes ab illis* (Episcopis) *consulendi sunt:* Quam adscribebat Opstratio in præfat. Pastoris boni pag. 11. lin. 22.

Sed cum pro more haberet Reverendissimus Qualificator, cui Propositionis istius examen commissum erat, non credere Accusatoribus, nisi ipse prius accusationes sinceras esse ex ipsis scriptis, unde desumptæ dicebantur, deprehendisset; ac præterea ægrè hic sibi persuadere posset inveniri Theologum, qui doceret ab Episcopis consulendos esse Confessarios, ut de promovendorum probitate testimonium perhiberent: dignatus fuit ipsam Pastoris Boni præfationem inspicere; & mox deprehendit, non aliud illic dici, quam Confessarios consulendos esse ab ipsis Theologis super sua vocatione, priusquam aut Sacros Ordines aut curam Animarum suscipiant: Propositionem verò Pastoris Boni corruptam fuisse ab Accusatore, inserendo hanc vocem, *Episcopis*, cum inserere debuisset hanc, *Theologis*. Accersiri itaque ad se jubet Accusatorem; profert Pastorem Bonum; inspectâque ac lectâ præfatione, errasse se agnovit Accusatòr, & cum rubore discessit.

Accusaverat etiam hanc, quæ inter easdem propositiones erat undecima: *Si de genere illorum sit, qui non solum sit criminosus, sed etiam criminosus sit cum scandalo vulgi* (Opstraet pag. 130. lin. 5.) *talis etiam post peractam pœnitentiam non est Pastor, qui antè fuit publicus peccator.* Idem pag. 131. lin. 2. & seqq.

Sed rursus impostura deprehensa fuit à Consultoribus, qui censuerunt eam *fideliter extractam non esse*, ut videre licet in ipsa *Accusatione & Querela*, ubi de propositione ista agitur. Et sanè non aliud locis citatis dicit Pastor Bonus, quam quod Pastor, qui

antea fuit cum scandalo vulgi criminosus, non possit amplius dici esse vitæ irreprehensibilis & famæ integræ, tametsi conversus sit & in secreto Pœnitentiæ Tribunali absolutus. Statuatur nunc quæ fides, post lapsus ejusmodi, Accusatori habenda sit.

Rogabat eum jam Romà reducem Vir quidam Eximius, quî fieri potuisset, ut tam falsò accusasset Opstratium? An fortè, inquiebat, è Belgio submissæ erant accusationes, quas ipse in fonte non inspexeras? Non, reponebat, sed ipse eas è Pastore Bono excerpseram. Quî ergo, aiebat ille, sic errare potuisti? *Homines sumus*, inquiebat, *errare possumus*.

Eodem fortè responso absterget imposturam de Censuris, quas propositionibus nostris inustas esse asseruit: sed judicet Sedes Apostolica cui imponitur, & Orbis Catholicus cui illuditur, an ea tam facilè abstergi possit. Grave fortasse non videbitur falsa affinxisse Opstratio: sed censuras, quas non tulit, affinxisse palam Sedi Apostolicæ, non potest non gravissimum videri & cum multarum Animarum pernicie conjunctum.

§. 5.

Recensentur aliæ Imposturæ triginta & sex, quas ex sola de occultis & internis conjectura temerariè nobis affingit Accusatio *in* Reflexionibus secundis.

Inter omnes criminandi rationes ea iniquissima est, quæ nullis externis indiciis suffulta, sed solâ de internis conjecturâ nixa, homines, etsi contraria omnia exteriùs protestantes, de nefandis consiliis accusat.

Hanc rationem init *Accusatio* in *Reflexionibus secundis*, ubi SCOPUM nostrum trigesies & sexies designat: sed ita infeliciter, ut triginta illæ & sex *Reflexiones* totidem imposturæ sint, à scopo nostro quam longissimè aberrantes. Atque en illas tibi breviter exhibitas. Scopus, inquit videtur esse

1. *Ad dandam absolutionem non acquiescere sincero emendationis proposito.* pag. 7.

2. *Privandum esse pœnitentem gratia Sacramentali, donec totus emendatus, & fortè ante Sacramenti susceptionem justificatus fuerit.* ibid.

3. *Absolutiones sine præviis pœnitentiis, & sine frequenti confessione donatas in irritum vocare.* pag. 9.

4. *Neminem umquam primâ vice absolvere.* pag. 10.

5. Opera

rati sunt, teneat praxim à longè maxima Ecclesiæ parte dissonam. pag. 30.

23. *Paucitatem suam adversus universalitatem in perpetuum erigere.* pag. 34.

24. *Nova facere omnia.* pag. 36.

25. *Enervare omnem doctrinam & praxim, quæ diminuit fructus dignos pœnitentiæ, quos statâ lege ad absolutionem requirunt.* Ibid.

26. *Totam revelationem (de scapulari) suâ auctoritate dejicere, & ipsum scapularis usum tollere.* pag. 38.

27. *Etiam in hoc* (in processionibus, ubi simul cum Venerabili deferuntur Reliquiæ & imagines sanctorum) *aliquid indulgere Sectariis, in quorum gratiam jactant se Catholica dogmata velle mitigare, quasi ut minùs abhorreant.* pag. 38.

28. *Ubique stabilire suum notabile tempus.* pag. 39.

29. *Stabilire propositionem tertiam Jansenii, statuendo peccata necessitatis.* pag. 40.

30. *Stabilire propositionem tertiam Jansenianam aliis verbis.* pag. 41.

31. *Negare adjutorium omne aliud quàm efficax cui numquam resistitur.* Ibid.

32. *Non prædicare gratiam, nisi efficaciter operantem.* ibid.

33. *Primam propositionem tradere aliis verbis, & ex prima pariter deducere reliquas, mutato solo systhemate verborum.* pag. 42.

34. *Potentia proxima & voce, gratia sufficiens, uti, sed sanum earum sensum rejicere, & aliis verbis Jansenianas tradere.* pag. 43.

35. *Subducere se auctoritati Ecclesiæ* pag. 45.

36. *Fabricare libertatem libros omnes seu proprios seu alienos, sibi bene visos, ab Ecclesia quomodolibet proscriptos, in animo & saltem secretò tenendi, credendique ut catholicos.* pag. 46.

Aut nequissimi sumus nos, si ista consilia animo versamus; aut nequissimus est Accusator, si per calumniam consilia ista pessima nobis affingat. Cum verò neque nos deceat de illis suspectos esse, neque ipsum de tot calumniis: provocamus ipsum coram Sede Apostolica, aut quovis alio Judice legitimo, ut criminationes suas probet: Quod si non præstiterit, nos quidem à suspicione tam atroci absolvemur; ipse verò calumniæ notam non evadet.

§. 6.

 115

§. 6.

Diluuntur imposturæ Pastori bono impactæ circa hanc propositionem quæ inter 61. *accusatas fuit prima:* Si quæras, quâ praxi hi omnes utantur? R. Eâ quam vocant strictiorem, seu eâ quâ nemo extra casum necessitatis absolvitur, nisi qui priùs per tempus notabile vitam emendârit.

Etsi hæc verba habeat Pastor Bonus in *Praxi Pastorum* §. 5. per imposturam tamen illi hîc, tum in *Propositione prima*, tum in *Reflexione prima* affingitur, quod enuntiet, *Omnes Pastores bonos eâ praxi uti:* manifestum enim est, Auctorem Pastoris Boni eo loco tantùm enarrare, quid faciant *hi omnes Pastores boni*, quorum illic praxim describit. Non sequitur autem: *Hi omnes Pastores boni utuntur eâ praxi; Ergo omnes Pastores boni utuntur eâ Praxi.*

Quin ipse Auctor Pastoris Boni in *Notis* Epilogo subjectis disertè declarat, *se, dum antithesim ponit* BONAM *inter &* MALAM *praxim, nequaquam indicare velle, eos omnes Pastores debere inter malos reputari, qui praxim, quam bonam vocat, ad extremum usque apicem non assequuntur.* Notâ 1. Et rursus: *Si quæ apud quosdam Pastores in usu sunt, non continuò existimandum esse, velle se omnes alios ad eumdem præcisè usum & praxim adigere.* Notâ 5. Prorsus ut illi adscribi non possit *propositio prima*, quam malè ex Pastore Bono fabricavit Accusator, affictamque Pastori Bono tamquam *temerariam.... & injuriosam multis piis & doctis Pastoribus* censurat.

At quid de Praxi illa, quâ usos fuisse pastores quosdam narrat Pastor Bonus, *qui extra casum necessitatis neminem absolvebant, nisi qui priùs per tempus notabile vitam à criminibus emendasset?*

R. Observatum hic ante omnia velim, agi de Peccatore, qui non peccato mortali qualicumque, sed *crimine*; nec crimine uno, sed *criminibus* maculatus est: cui an non meritò extra casum necessitatis differatur absolutio donec per tempus notabile vitam à criminibus emendarit, ex aliorum, quam subjungo, doctrina statuatur.

1. S. Carolus Borromæus: *Est*, inquit, *præterea consultum absolutionem differre* (Italicè, *differatur adhuc absolutio*) *donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametsi dicant & pollicean-*

ceantur, quod se eximent peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum ne contrarium contingat. Instruct. Past. p. 2. c. 15. Metum autem istum meritò faciunt homines criminibus maculati, donec per tempus notabile vitam à criminibus emendârint.

2. Eminentissimus Cardinalis DE AGUIRRE: "*Inhærentes*, inquit, non modo Conciliis, Canonibus, & Patribus supra laudatis, nec non Cardinalibus, Episcopis, & Theologis horum "temporum, sed etiam rationi manifestæ, fundatæ in doctrina fidei & experimento frequenti, dicimus MAXIME OPORTERE, ut "gravium peccatorum rei, præsertim relapsi, antequam confiteantur, præmittant aliquanto tempore juxta numernm & qualitatem scelerum, fructus dignos pœninentiæ interioris exteriorisque.... Aliquanto, inquam, tempore, veluti (si quid amplius obtineri non potest) QUARUMDAM HEBDOMADARUM aut saltem DIERUM, in assidua contritione, oratione, jejunio, fletu, planctu, eleëmosynis, aliisque exercitationibus piis. &c." Dissert. 8. in Can. xi & xii Concil. Tolet. 3. n. 148. Si per tempus *quarumdam hebdomadarum aut saltem dierum*, ergo per *tempus notabile.*

3. Illustrissimus Episcopus Atrebatensis in *Instructione* ad Pastores & Confessarios cap. 9. ipsis illis terminis utitur, docetque, "Differendam absolutionem peccatori in occasione proxima, quam "deserere non potest, constituto, donec NOTABILI TEMPORE à "peccato abstinuerit.... Eandemque rationem servandam circa eos "qui sibi ipsis sunt occasio proxima per habitum quem committendo crimina ignominiosa contraxerunt. Et cap. 12. differendam similiter absolutionem recidivo, donec NOTABILI TEMPORE post relapsum à peccato abstinuerit, & sic se disponere conatus sit, ut MORALEM de contritione ipsius CERTITUDINEM Confessarius habeat."

Post hæc opus non esse existimo refutare ea quæ hîc *Reflexione* tertiâ *Querulus* noster opponit praxi, quâ usos fuisse quosdam Pastores narrat Pastor Bonus: refutabo tamen, ut vel sic constet, nîl eum refutatione dignum dixisse.

1. Dicit Opstratium manifestè renovare errorem *Chariclis, qui*, ut ait, *differebat absolutionem, donec præmissa essent pœnitentiæ opera.*

R. Si is erat error *Chariclis*, Opstratius ab eo abest quàm longissimè; quippe qui contrarium ubique profiteatur, ac speciatim nu-

per

per professus sit in *Expositione de Laborioso Baptismo* ad Art 1. 2. 7. 12. & 13.

2. Dicit eùm incidere in errorem *variorum impugnantium absolutiones frequentes.*

R. Non magis in errorem istum incidit Opstratius quàm S. Carolus Borromæus, Eminentissimus Aguirrius, Illustrissimus Episcopus Atrebatensis, cùm quibus eandem prorsus doctrinam profitetur.

3. "Repugnat, inquit, praxi Christi Domini in Maria Magdalena, in filio prodigo."

R. Ubi talia conversionis signa attulerit pœnitens, qualia attulit Maria Magdalena & filius prodigus: non dubitabit Opstratius eum absolvere.

4. *Repugnat sanæ Theologiæ, juxta quam peccator gratiâ Sacramenti indiget ad exequendam emendationem, quam proposuit.*

R. Sed sana etiam Theologia docet, peccatorem *criminibus* maculatum prius ad gratiam Sacramenti recipiendam disponi debere.

5. *Repugnat etiam Concilio Trident. quod Sess.* 14. *Can.* 5. *pronuntiat anathema:* si quis dixerit eam contritionem quæ paratur per discussionem &c. cum proposito melioris vitæ non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam: *id est, non esse sufficientem præparationem ad gratiam.*

R. Et nos illi anathema dicimus: sed quod homini criminibus maculato credi mox debeat, dum præparationem illam se habere affirmat, Tridentinum non dicit.

6. *Repugnat SS. Patribus ..... Ambrosio in cap. 22. Luc.... Chrysostomo in Orat. de S. Philogonio.... Leoni Magno Epist.* 101. *&c*

R. Non aliud dicunt Patres illi, quàm aut peccatorem mox, ut peccata deflet, à Deo respici; aut posse brevissimo tempore converti: ut fusè ostensum est in *Appendice ad Doctrinam de Laborioso Baptismo* à pag. 45. usque ad 68. Item in *Responsione Brevi* à pag. 46. usque ad 58. Et in *Responsione pro Responsione Brevi* à pag. 73. usque ad 81. Ac tandem in *Disquisitione Altera asserta* à pag. 31. usque ad 45.

7. *Denique repugnat S. Patri Nilo, qui Presbyteri Chariclis errorem tamquam Novatianismo vicinum ex professo impugnans,* Nè itaque dicas, inquit, mi Vir, eos qui opere deliquerunt, VERBIS TANTUM confitentes, Dominus non accipit. Lib. 3. Epist. 243.

R. Vel S. Nilus docet, solam Confessionem verbalem sufficere,

ut præfert titulus Epistolæ S. Nili nuper editæ præfixus; *Sufficientia Confessionis verbalis ad Absolutionem absque laboriosis Pœnitentiæ operibus præviis;* vel id non docet. Si doceat: à S. Nilo cum Theologis omnibus recedimus, & aliis Patribus adhæremus. Si non doceat: frustra nobis Nilus objicitur.

§. 7.

Deteguntur Imposturæ Accusationis *circa propositionem, quæ inter 61. fuit tertia:* Praxis bona (*Opstraet Past. Bon. pag. 441. lin 2.*) absolvi neminem posse, nisi qui prius per dignos fructus pœnitentiæ vitam emendârit. *Ibid. lin.* 11.

Duplex est in una accusatione impostura. Prima, quod Pastori bono adscribatur hæc propositio, *Absolvi neminem posse* &c. Cum tamen Pastor Bonus tantum narret, eam propositionem à quibusdam Pastoribus prædicatam fuisse. Altera, quod supprimat Accusator, eam à Pastoribus prædicatam fuisse in iis Parochiis, *ubi Superiores, Subditi, Parentes, Proles, Juvenes, Senes &c. in peccandi consuetudine pacificè* multo prius tempore relicti fuerant; quod loco citato Pastor Bonus expressit.

Addit imposturam tertiam, quâ Pastori Bono adscribit hanc suam propositionem tertiam, *Opus est frequenti confessione priusquam ad conversionem perfectam veniatur:* Neque enim hoc dicit Pastor Bonus, sed tantùm narrat, quod Pastores quidam, dum primùm ingrediebantur Parochias sic corruptas, *cœperint prædicare, Opus esse precibus, labore, directione boni Confessarii, frequenti Confessione &c. priusquam ad conversionem perfectam veniatur.* Quo modo loquendi manifestum est non aliud significari, quàm varia esse media, quibus ad conversionem perfectam veniatur, atque inter hæc esse *preces, laborem, directionem boni Confessarii, frequentem confessionem,* & alia quæ continentur sub hac particula *&c.* ut sunt v. g. jejunium & eleëmosyna, quorum aliquibus opus esse solet ad perfectam conversionem assequendam.

Prætereo imposturas, quæ continentur Reflexione 1. & 2. sed lubet discutere, *an temeraria & injuriosa multis piis ac doctis pastoribus* sit illa Pastorum prædicatio: *Absolvi neminem posse, nisi qui prius per dignos fructus pœnitentiæ vitam emendarit:* sic enim Accusator eam perstringit.

Si prædicatio ista censurâ digna sit; digna etiam censurâ erit hæc prædicatio Christi, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis:* si autem hæc absque impietate censurâ digna dici non possit; non intelligo, quo pacto censurâ digna dici possit ista. Etenim ut salvari nemo potest, nisi qui pœnitentiam egerit; ita nec absolvi: si autem absolvi nemo possit, nisi qui pœnitentiam egerit; absolvi etiam nemo potest, nisi per dignos fructus pœnitentiæ vitam emendârit: nam *pœnitentiam* (dignam) *agere*, est *per dignos fructus pœnitentiæ vitam emendare:* Omnis enim pœnitentia, est fructus dignus pœnitentiæ; & vicissim omnis fructus dignus pœnitentiæ, est pœnitentia.

At, inquiet Accusator, Pastores illi requirunt fructus pœnitentiæ externos.

R. Evidens est id eos in sua prædicatione non dicere; ac proindè eis immeritò affingi. Quin & affingi eis per summam calumniam: cum ne suspicari quidem de illis liceat, quod doceant, absolvi non posse v. g. moribundum, qui priùs dignos fructus pœnitentiæ externos non præstiterit. Suspicari certè id nemo potest de Authore Pastoris Boni, qui cùm anteà sæpius, tum non ita pridem in *Expositione doctrinæ de laborioso Baptismo* art. 13. iterum professus est, *Validè & Sacramentaliter absolvi pœnitentem, modò internè conversus sit, etsi nulla opera pœnitentiæ externa præmiserit.* Quæ opponit *Querelæ* Auctor, excutiamus.

1. Objicit Rituale Romanum. 2. Praxim totius Ecclesiæ. 3. Sanctos Patres. Sed nulla ex iis loca affert.

R. Nos contra, & Rituale Romanum, & Praxim Ecclesiæ, & Sanctos Patres à nobis stare prolatis, fusè eorum locis, in *Doctrina de Laborioso Baptismo* ostendimus.

4. Objicit S. Nilum, qui dicit *non laboribus & molestiis*, sed *simplicibus humilibus verbis* salvatum esse Publicanum & Latronem.

R. Salvati non sunt per verba sola, sed per fructus dignos pœnitentiæ.

5. "Latro, inquit, *semel*, Filius prodigus *semel*, Magdalena "*semel*, publicanus *semel*, confessus est: ergo nimis exorbitat regula "quæ frequentem confessionem exigit."

R. Regulam illam in Pastore Bono traditam non esse, sed frequentem confessionem numerari tantùm inter ea, quibus solet ad perfectam conversionem veniri, paulò ante, ostensum est.

 6. Op-

6. Opponit, "quod sancti Patres distinxerint crimina in oc-
"culta & manifesta; quorum illa respexerint forum poli, & citò
"à Deo ac sacerdote Dei vices gerente soluta fuerint; hæc verò
"respexerint forum fori, quæ quia requirebant scandali repara-
"tionem, more humano solvebantur tardè: Ex quo concludit pec-
"catorem occultè tantùm criminosum citò juxta Patres absolvi de-
"bere. Errasse autem nos qui distinctionem illam in Patribus non
"viderimus. Quæ omnia confirmat ex Augustino Enchir. c. 65.
"& Ivone Epist. 228."

R. Nemo est vel mediocriter in sanctis Patribus, Canonibus, & veteri Ecclesiæ disciplina versatus qui ignoret, occulta etiam crimina olim publicâ & longâ pœnitentiâ ante absolutionem expiari debuisse. Si dubitet Accusator, adeat Morinum lib. 5. de pœnit. c. 9. 10. 11. 12. 13. & 14. Nam operæ pretium non est, rem tam manifestam & notam omnibus studiose probare. Porrò loca, quæ pro se allegat, ipsi contraria sunt.

Allegat ex Enchiridio Augustini c. 65. hæc verba: *Rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ ut fiat etiam satis Ecclesiæ:* quæ sic interpretatur, ac si illa tempora pœnitentiæ tantùm constituta fuissent ut repararetur scandalum coram Ecclesia. Sed si legisset verba quæ proximè præcedunt, didicisset tempora illa eò constituta fuisse, ut dolor cordis qui occultus est, & per sola verba aut alia signa ejusmodi cognosci satis non potest, per pœnitentiam longo tempore peractam innotesceret. *Quia*, inquit Augustinus, *plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcumque alia signa procedit... rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ.*

Magis hic sensus elucescit ex Epistola 228. S. Ivonis, quam etiam pro se allegare ausus est Accusator. Quærebatur à S. Ivone:
"Quomodo inter se convenirent prophetica sententia quæ dicit,
"*In quacumque hora peccator ingemuerit, salvus erit*, & Synoda-
"lis quæ crimina sua confitentes aliquamdiu à Corporis & Sangui-
"nis Christi Communione suspendit? Quæstio, inquit, facilè sol-
"vitur... Cum enim criminalis culpa delinquentem separet à Capite
"& Corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex tantò
"remittat celeriùs, quantò solus magis videt interiùs: Judex verò
"qui tantum videt in facie, usque adeò delinquentes sub peccati pœ-
"na detineat, DONEC PER MANIFESTUM PŒNITENTIÆ FRUCTUM

"QUI

" QUI SIT POENITENTIS AFFECTUS, INTELLIGAT." Dein citat S. Auguſtinum Enchir. cap. 65. quem paulò ante citavimus.

Ex ipſis itaque locis, quæ pro ſe affert *Querulus Accuſator*, elucet, non ideo tantum pœnitentibus injunctum fuiſſe ante abſolutionem tempus pœnitentiæ, ut Eccleſiæ pro ſcandalo ſatisfieret; ſed etiam ut *per manifeſtum pœnitentiæ fructum, qui eſſet pœnitentis affectus*, Eccleſiæ & Sacramenti Miniſter *intelligeret*.

7. Affert locum quemdam Auguſtini ſerm. 16. de verbis Dom. c. 8.

R. Sed nil aliud eo loco docet S. Pater, quam crimina occulta occultè corripienda: quod huc non pertinet.

8. Subjungit, " occultos Mœchos & Homicidas ab Altari re-" motos non fuiſſe, ſed Auguſtino conſentiente communicaſſe cum " reliquis; proindeque juxta mentem ejus brevi ſpatio temporis " reconciliatos cum Deo fuiſſe: obſervatam enim fuiſſe hanc regu-" gulam Auguſtini ex Homil. 50. *Nos à Communione prohibere " quemquam non poſſumus (quamvis hæc prohibitio nondum ſit " mortalis, ſed medicinalis) niſi aut ſponte confeſſum, aut in ali-" quo ſive ſæculari ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atque con-" victum.*"

R. Planè falſum eſt, occultis Mœchis & Homicidis, dum ſua peccata ſecretò confitebantur, injunctum ſecretò non fuiſſe ut ſe ab Altari removerent, ſed brevi temporis ſpatio reconciliatos cum Deo fuiſſe: Nam ex ſolâ lectione Canonum Pœnitentialium conſtat, tam eos à ſacerdotibus ſervari debuiſſe circa peccatores occultos, dum crimina ſua ſecretò confitebantur, quam circa publicos; ut videre licet in Morino loco jam citato. Dum verò ſua crimina non confitebantur, aut ſe ſacerdotum judicio non ſubmittebant, & tamen palam offerebant ſe ad communicandum cum reliquis; tum ſervabatur iſta regula Auguſtini, & publicè (utpote peccatores occulti) ab Altari non repellebantur. Mirè itaque circa *forum fori & forum poli* hallucinatur *Querulus*; dum putat ad Officium Confeſſarii in foro poli non ſpectare, ſecretò injungere Peccatori occulto, ut ſe ab Altari removeat, ſed tantum id ſpectare ad officium judicis *in foro fori* circa peccatores publicos.

§. 8.

Refellitur Impostura Accusatoris *circa hanc, quam* adjunctam *vocat*: Cuivis homini etiam laico (extra casum justæ necessitatis) absolutio differenda est, donec vitam emendaverit... Igitur multò magis Sacerdoti vel Pastori. *Opstraet Past. Bon. pag.* 131. *lin.* 36.

REflexione primâ observat Accusator, *jam non agi de criminibus, sed de iis qui certa crimina non committunt:* Verum tacere non debebat, agi de iis qui sunt *malæ vitæ.* Laicos autem & Sacerdotes malæ vitæ, sine vitæ emendatione, absque justa necessitate, absolvendos esse, nescio quis Theologus, præter Accusatorem, dicere auderet.

Imposturam atrocem, quam habet *Reflexione* 2. *scopum nostrum esse neminem umquam primâ vice absolvere*, jam supra retulisse, refutasse sit.

Reflexione 3. nîl dicit nisi propositionem repugnare iis omnibus, quæ ad propositionem primam adduxerat, & præsertim S. P. Nilo. Sed refutata illic sunt abundè omnia: nec opus est eadem repetere.

§. 9.

Refutantur Imposturæ Accusationis *circa* propositionem *hanc*: Quid postremò de lapsis in crimen, qui neque consuetudinarii sunt, neque Recidivi, si nulla pœnitentiæ opera præmiserint, præter præparationem illam ordinariam, quæ in discussione Conscientiæ, actibus fidei, spei, dilectionis, doloris, propositi consistit: nonnè hos saltem omnes (nisi extraordinaria quædam obstent) judices conversos? Potius judicare illos debeo non esse, quam esse conversos? *Opstraet Praxis administ. Sacram. Pœnit. pag.* 81. *lin.* 38. *& pag.* 82. *lin* 12.

PRima hic impostura est in *Reflexione prima*, ubi Opstratio affingitur, quod doceat *lapsum in crimen debere regulariter judicari indispositum, licet habeat actum fidei; spei, dilectionis, doloris, & propositi.*

Detegetur impostura, si addantur propositioni lineæ quatuordecim, quibus eam mutilavit Accusator. Siquidem ex illis manifestum erit, non dici eos regulariter judicandos esse indispositos, qui

qui se ad absolutionem præparârunt per actus fidei, spei, dilectionis, doloris, propositi; sed eos, qui etsi se non magis præparârint quam non-conversi, *dicunt tamen se actus fidei, spei, dilectionis, doloris, propositi* (quemadmodum etiam dicunt non-conversi) elicuisse.

Secunda impostura ibidem est, *quod Opstratius prærequirat Opera pœnitentiæ, ab his omnibus* (actibus) *distincta.*

Sed refellitur ex ipsa *Dissertatione de Praxi* quæ accusatur. Nam parte 3. cap. 4. §. 5. pag. 72. disertè dicitur, " quod omnes " sine controversia admittant, *præparationem istam, quæ in discussione conscientiæ, actibus fidei, spei, dilectionis, doloris, propositi, consistit,* ad absolutionem sufficere.

Tertia impostura est," quod scopus noster sit, Opera pœnitentiæ à contritione & Confessione distincta stabilire, tamquam " unicum signum conversionis internæ."

Jam toties hanc imposturam refutavi, ut de ea suspectus esse amplius non possim. Sed videamus, an in errorem damnatum non incidat ipse Accusator.

Sufficere ait duo signa conversionis internæ, *Contritionem & Confessionem;* sed quid per contritionem intelligat, investigemus. Vel intelligit contritionem merè internam; vel contritionem operibus proditam; vel significatam tantum verbis. Intelligere non potest contritionem merè internam: Quia hæc cum notior non sit ipsâ conversione internâ, signum illius esse non potest. Non intelligit etiam contritionem *Operibus* proditam: Quia opera ubique impugnat. Superest igitur ut intelligat contritionem verbis tantum significatam. Si autem hanc intelligat, necesse est eum incidere in errorem damnatum ab Innocentio XI. propositione 60. inter 65. *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, & Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere & proponere emendationem.* Talis enim pœnitens habet duo signa conversionis internæ, *Contritionem* verbis significatam & *Confessionem*, quæ juxta Accusatorem sufficiunt.

Quarta Impostura est, " Quod nulla nobis hactenus de consue„ tudinariis & Recidivis steterit disputatio." Reflex. 3.

Sed an nescit de Consuetudinariis nobiscum disputasse Authorem *Tractatus de Operibus pœnalibus*, & asseruisse, *quod hæc sit praxis Ecclesiæ universa, Consuetudinarium prima vice absolve-*

 re,

re, modo sincerè affirmet se contritum esse &c. *Item secundâ vice, dummodo à prima confessione vitam aliquo modo emendârit? Quin & idem cum proportione de tertia & quarta confessione dicendum?* Art. 6. pag. 50.

An nescit eandem doctrinam defendi in libellis, *Praxis & Doctrina communis Ecclesiæ*, &, *Confutatio Responsionis Brevis* &c.

An nescit de Consuetudinariis nobiscum disputasse Doctorem Damen in *Doctrina & Praxi S. Caroli*, ubi ad Assert. 13. & 22. docet, Consuetudinarios primâ saltem & secundâ vice, solius promissionis intuitu, absolvi debere?

An demum nescit, omnes libellos istos à Doctore Steyaert cum magnis encomiis approbatos?

Sed noverat Accusator, Romæ istam de Consuetudinariis doctrinam non ferri; ideoque ei persuadendum, quod nulla de illis foret disputatio in Belgio.

Impostura quinta est, "Quod eodem ferè modo habeamus peccata malitiæ & infirmitatis." Reflex. 3.

Sexta, "Quod non secernamus habitum seu consuetudinem retractatam à non retractata." Ibid.

Septima, "Quod privatâ authoritate stabiliamus novitias regulas contra totius Ecclesiæ usum." Ibid.

Quæ omnia cum absque probatione ulla confidentissimè alleget, ne refutanda quidem, sed neganda tantum putamus.

Superest ut breviter perstringamus quæ objicit.

1. "Si quis, ait ex Antonino, semel ex occasione peccati oblata in peccatum ruit, & postea tristitiam & verecundiam ostendit de "peccato, signum est quod peccatum sit ex passione, & quod de "facili emendetur. part. 2. tit. 9: c. 6. §. 4.

R. S. Antonini doctrinam admitto; sed nego eam rectè extendi ad quævis crimina, præsertim adhæsionis.

2. Iterum opponit suum Nilum lib. 3. Epist. 243. docentem, quod Dominus Os etiam suscipiat, secundum David dicens, PECCAVI DOMINO.

R. Suscipit Os dicens PECCAVI DOMINO, si Ori cor respondeat: si non respondeat, non suscipit.

3. Objicit praxim S. Philippi Nerii in ejus vita descriptam, *qui stata lege Consuetudinarios absolvebat citò, injunctâ pœnitentiâ ut statim à recidiva redirent, iterum cito absolvendi.*

R. Si hæc fuerit praxis S. Philippi Nerii, miranda est in Sancto, non

non imitanda; utpotè ordinariis & communibus sanæ Theologiæ regulis non congruens. Quod vel ipse Accusator fatetur, dum ait, nullam nobis hactenus de Consuetudinariis & Recidivis stetisse disputationem: stetisset autem, si praxim illam communiter imitandam putasset.

§. 10.

Refellitur Impostura Accusatoris circa hanc propositionem: Juxta ordinarias Dei leges non datur peccatoribus conversio cordis interna, quæ in Sacramento ad justificationem requiritur, nisi per opera pænitentiæ impetretur. *Opstraet de Labor. Baptis. pag.* 8. *col.* 2. *lin.* 27.

UNam hîc imposturam notabo, quam Accusator habet *Reflexione primâ*, nimirum: "Hæc omnia multùm differre ab iis, "quæ D. Hennebellus in Opstratii justificationem Romæ adduxit."

Ego verò affirmo, D. Hennebellum doctrinam istam Romæ nomine Opstratii apertè professum fuisse.

Et quidni Romæ profiteretur Doctrinam, quàm ibidem profitetur Eminentissimus AGUIRRIUS his verbis: "Licet Deus pote-"state absolutâ aut providentiâ vel miseratione singulari possit ho-"minem gravium scelerum reum subitò ad ingentem contritionem "movere efficaciter & perfectè ad se convertere, nihilominus ju-"XTA CURSUM ORDINARIUM ea insignia & præstantissima dona "non largitur subitò, sed gradatim, ac MEDIA IMPETRATIONE FA-"CTA PER OPERA PŒNALIA, in Oratione, eleëmosyna, jejunio, "fletu, & planctu aliisque mortificationibus corporis & animæ. "Per eos autem actus divino auxilio exhibitos, PAULTIAM IM-" PETRAT peccator majora & ulteriora auxilia ad dilectionem Dei "& contritionem &c." Differt. viii. in Can. 11. & 12. Concil. Tolet. 3. Excursu 2.

En ipsam Opstratii doctrinam, Eminentissimi Cardinalis verbis expressam: quam proindè non debuerit Hennebellus erubescere.

Sed quid ad hanc Accusator? Unum Nilum opponit dicentem, quod Dominus Jesus confessionem per labia non rejiciat.

R. At neque nos eam rejicimus; modò cum conversione cordis conjuncta sit.

§. II.

Refutatio imposturæ Accusationis *circa hanc propositionem:* Magni fletus & labores exiguntur ad obtinendam remissionem culpæ mortalis & pœnæ æternæ. *Doctrina de Labor. Bapt.* §. I.

Auctor *Doctrinæ de Laborioso Baptismo* post *Observationem* quam locis Patrum subjungit, distinctiùs explicat, quid per *magnos fletus & labores* intellectum velit, ne quis doctrinam ut justo rigidiorem accusaret: Id omittere Accusator non debuerat.

Sed graviùs Authori illi imponit *Reflexione primâ*, ubi dicit, "Quod censeat opera pœnitentiæ à confessione & contri-"tione distincta necessariò præmittenda esse ad obtinendam remis-"sionem culpæ mortalis & pœnæ æternæ." Verùm hanc imposturam refutavit Opstratius (ferè sine hyperbole dixerim) sexcenties, ut videre licet in *Expositione Doctrinæ de labor. Bapt.* sub art. 4. 7. & 13. Item in *Responsione Brevi*, *Responsione pro Responsione Brevi*, *Disquisitione Altera Asserta*, & alibi.

Quo verò sensu propositionem illam tradat intelligi debet, non ex Accusatore, sed ex ipsa *Doctrina de Laborioso Baptismo*; quæ si vel legatur, omnis mox impostura & Accusatio evanescet. Sed quæ Accusator objicit, excutiamus.

1. Opponit Tridentinum sess. 14. c. 2. "ubi pœnitentiam non "vocat Laboriosum Baptismum, nisi quia non sine magnis fleti-"bus & laboribus obtineri potest, ut Pœnitentia sit nobis Baptis-"mus, id est, ut tantùm nobis prosit, quantùm Baptismus pro-"fuit, *dum nova prorsus in illo* (Christo) *efficimur creatura*, "*plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequen*-"*tes*, nimirum à culpa & pœna, tam temporali, quàm æterna."

R. Non ob eam solùm causam Pœnitentiam vocari laboriosum Baptismum; sed etiam, quia non sine magnis fletibus & laboribus obtineri solet remissio culpæ mortalis & pœnæ æternæ, ostensum est in Scripto, *Locus Concilii Tridentini de laborioso Baptismo sess. 14. c. 2. Vindicatus*, ad quod Lectorem remitto. Unum adjicio, quod locum illum de remissione culpæ mortalis & pœnæ æternæ etiam intelligant duo Magni Episcopi, Virodunensis & Atrebatensis. Nam ille in suo RITUALI de Sacramentis in genere §. 3. docet, *quod Deus condonare non soleat iis, qui suum Baptis-*

mum

mum violarunt, nisi post multas lachrymas; quod probat ex hoc loco Tridentini, *Non sine magnis nostris fletibus & laboribus:* Hic verò in sua *Instructione* cap. 7. eundem locum affert, ut *conversionem magni peccatoris difficilem esse* ostendat.

2. Opponit etiam Caput 14. sess. 6. ubi eadem Synodus pœnitentiæ opera exigit, *non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento vel Sacramenti voto unà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali:* Cui cum directè opponatur propositio, videtur erronea & fortè aliquid amplius: quia palmarem Concilii Definitionem evertens. Ita Accusator.

R. Sed jam dudum objectio ista elisa est in *Doctrina de Lab. Bap.* n. IV. Item in *Appendice ad Doctrinam* Append. VI. §. 2. n. 2. Ubi ex Vasquesio in 1. 2. q. 113. art. 2. Disp. 203. c. 9. ostensum est, propositionem istam nequaquam Concilio opponi. Nam Concilium eo loco agit de justificatis, quibus jam pœna æterna remissa est; ideóque non mirum, quod pœnitentiæ opera ab illis non exigat *pro pœna æterna, sed tantum pro pœna temporali:* Propositio verò agit de peccatoribus, quibus nondum pœna æterna remissa est; & hos cum eodem Concilio sess. 14. cap. 2. non sine magnis fletibus & laboribus in Sacramento Pœnitentiæ justificari solere affirmat. Quare sicut Concilium sess. 6. cap. 14. non opponitur sibi ipsi sess. 14. cap. 2. ita nec propositio opponitur Concilio.

3. Objicit Bellarminum lib. 4. de pœnit. c. 13. ubi dicit, "præceptum illud, *facite fructus dignos pœnitentiæ*, dari quidem hominibus in hac vita, sed intelligi *cum conditione*, si videlicet velit quis perfectam remissionem peccati quoad omnem pœnam."

R. Hoc minimè repugnat propositioni quæ asserit, non solere Deum juxta cursum ordinarium nisi per magnos fletus & labores peccatori conversionis donum largiri, eique culpam mortalem & pœnam æternam remittere.

4. Allegat usum Ecclesiæ, quæ pœnam quidem irrogat, sed tantum exequendam post absolutionem; adeoque tantum pro pœna temporali.

R. Sed usus etiam Ecclesiæ est, peccatoribus nondum ad absolutionem dispositis injungere quædam opera pœnalia, quibus sensim curentur, & ad consequendam remissionem culpæ mortalis & pœnæ æternæ disponantur. Utrumque usum amplectimur; nec alter alterum excludit.

5. Opponit Morinum qui codice de pœnit. pag. 139. producit

varias antiquas Græcorum formulas absolutorias, quarum aliæ adhibebantur *statim post confessionem*, aliæ in fine post pœnitentiæ opera peracta. Primas ostendit fuisse absolutorias à peccato, in foro poli; secundas à pœnis in foro fori. Ex quo infert Accusator, quod nequidem in pœnitentiis solemnibus magni illi fletus & labores exacti fuerint ad obtinendam remissionem culpæ.

R. Contrarium discet Accusator ex Morino de pœnit. lib. 9. c. 3. & 4. ubi Sacramentalem absolutionem non nisi post magnos fletus & labores olim concessam fuisse ostendit: Cujus etiam dilationis causas fusè refert lib 1: cap. 14. & seqq. Ubi inter cæteras allegat etiam has duas. 1. Ut contritionis dolor, qui soli Deo cognitus est, lapsu temporis, per opera pœnitentiæ hominibus innotesceret. 2. Ut Operibus istis laboriosis pœnitens misericordiam Dei sibi alliceret & impetraret. Cap. 16. Ibid.

§. 12.

Refellitur Impostura Accusationis *circa hanc propositionem*: Regulæ prudentiæ in administrando Sacramento Pœnitentiæ observandæ Past. Bon. pag. 188. Regula decima: Ordinariè nocet pœnitenti dubiè disposito absolvi. *Ibid. pag.* 190. Si autem aliquo tempore se à peccatis continuerit, & aliquo modo pœnitentiam fecerit, potest saltem dubiè dispositus judicari *Ibid.* 350.

TRia sunt, quæ hic carpit Accusator.

Primum, quod Author Pastoris Boni *vocet dubiè dispositum, ubi non est justa causa dubitandi* Reflex. 1.

Secundum, *quod Autoritate privatâ statuat regulas*. Ibid.

Tertium, *quod scopus ipsius videatur esse, suspendere absolutiones, & plerasque odiosas reddere*. Reflex. 2. Additque *proindè falsum esse id quod Hennebellus ad propositionem primam Romæ dixit:* Opstratio cùm suis sufficere emendationem & pœnitentiam *aliquo tempore* præmissam. Ibid.

Ad singula respondeo.

Ad primum quidem: Nulla verosimilitudine dici posse, certò semper dispositum judicandum esse pœnitentem, *qui aliquo tempore se à peccatis continuit, & aliquo modo pœnitentiam egit:* cum enim nullus propè sit tam impius, qui non saltem modico aliquo antè Confessionem tempore se à peccatis contineat, & qualemcumque pœnitentiam agat; nemo etiam propè esset, qui non de-

deberet certò dispositus judicari: quod nulli judicio sano videbitur. 122

Præterea Pastor bonus loco citato manifestè agit de pœnitente, qui *aliquo* quidem *tempore & aliquo modo pœnitentiam* egit, sed nondum proportionatè ad peccatorum suorum gravitatem, numerum, adhæsionem &c. quemadmodum agere deberet, nisi urgeret aliqua necessitas: agit enim de sponsis ob necessitatem aliquam Matrimonio jungendis.

Ad secundum: Non magis Autorem Pastoris Boni accusari hic posse de auctoritate privatâ, quam accusari de ea possint alii quivis Theologi, qui ex Scriptura Sacra & traditione doctrinam & praxim administrandi Sacramentum Pœnitentiæ proponunt.

Ad tertium: Non nisi per temeritatem calumniæ plenam ex verbis Pastoris Boni colligi potuisse scopum tam impium, *suspendere omnes absolutiones & plerasque odiosas reddere.* Quæ enim consequentiæ species: *Pastor Bonus docet, pœnitentem qui aliquo tempore se à peccatis continuit; & aliquo modo pœnitentiam egit, posse saltem dubiè dispositum judicari;* Ergo *scopus ipsius esse videtur, suspendere omnes absolutiones & plerasque odiosas reddere?* Sic tamen ratiocinatur *Querulus.*

Quod addit, falsum proindè esse id quod Hennebellus Romæ dixit, *Opstratio cum suis sufficere emendationem & pœnitentiam aliquo tempore præmissam*, ipse fallitur: Sufficit enim præmissam esse *aliquo tempore*, longiori vel breviori; criminum qualitati & circumstantiis proportionato, quod dixit Hennebellus: Non sufficit præmissam esse *aliquo tempore*, criminum qualitati & circumstantiis non proportionato, quod dixit Opstratius. Proindè nec Hennebellus Opstratio, nec Opstratius Hennebello contrarius est.

Verbo diluenda sunt argumenta duo quæ opponit *Reflex.* 3.

1. Augustinus gravissimo peccatori dicit, *corrige te hodie; quid differs in crastinum?* Ergo non requiritur tempus longum, ubi sufficit hodiernum.

R. Similia argumenta jam solvi sæpius, ac ostendi nil aliud ex ejusmodi locis Patrum sequi, quàm peccatorem posse, non autem solere repentè & brevissimo tempore converti: alioquin etiam secuturum, brevissimo tempore converti solere peccatores quosque gravissimos; cum hos etiam sic SS. Patres hortentur. Vide *Appendicem ad Doctr. de Lab. Bap.* à pag. 45. usque ad 68.

2. Alterum argumentum ducit ab exemplo S. Philippi Nerii

"qui etiam consuetudinarios statim absolvebat, injunctâ pœnitentiâ „ ut recidivi mox redirent, statim denuo absolvendi; & sic plurimos, etiam à consuetudine, curabat." Ex quo infert, absolutionem ordinariè non nocere Pœnitenti, de quo propositio: præsertim cum hic non agatur de Consuetudinariis.

R. Exemplum istud S. Philippi Nerii (si res ita se habeat) admirandum est, ut jam supra monui, non imitandum: si enim singularem istam Consuetudinarios subitò convertendi gratiam habuerit Vir ille singulari sanctitate præditus; non eandem sibi arrogare possunt quivis de grege Confessarii: ac proindè se debent communibus Theologiæ regulis conformare: Quod si contendat *Querulus*, exemplum istud passim imitandum esse; cur non infert passim etiam mox absolvendos esse Consuetudinarios recidivos? Sed jam supra scilicet professus est, nullam sibi nobiscum hactenus de Consuetudinariis & recidivis stetisse disputationem. At stetisse debuerat, si exemplum S. Philippi Nerii passim imitandum sit: si autem passim imitandum non sit, non debuerat indè argumentum desumere.

Firma ergo manet Regula, quam impugnat Accusator: *Ordinariè nocet pænitenti dubiè dispositio absolvi*: si enim noceat pœnitenti, exponi (absque necessitate) periculo sacrilegii; profectò pœnitenti dubiè disposito ordinariè nocet absolvi: cum pœnitens dubiè dispositus periculo sacrilegii exponatur.

§. 13.

Refutantur imposturæ Accusationis *circa hanc Propositionem, quæ inter 61. fuit decima tertia:* Pro verisimili Dispositione invenientur hæc & similia: peccavit tantùm ex infirmitate, confitetur cum gemitu, tunsione pectoris, lachrymis &c. protestatur se dolere ex amore Dei super omnia dilecti, emendationem firmissimè proponit, dicit se malle mori millies, quàm Deum vel semel lethaliter offendere, affirmat se numquam ita doluisse ut nunc dolet, est Vir sincerus & prudens cui possit fides adhiberi. Pro necessitate autem absolvendi adferentur hæc & ejusmodi: Est magna festivitas vel Indulgentia; si non absolvatur, numquam redibit; incipiet nocere bonis Confessariis, detrahendo, obmurmurando, alios instigando &c. si non communicet, incurret infamiam apud alios qui id notabunt, debet per absolutionem & Sacramentum Eucharistiæ muniri adversus relapsum &c.

 123

&c. Quæ omnia dum prudentiâ carnis ponderant quidam directores, quosvis passim absolvunt: prudentiâ carnis, inquam, nam hæc omnia eò tantùm inveniunt, ut liceat sibi, quod carni gravissimum est, omnibus hominibus satisfacere, & nullum incommodum à pœnitentibus sustineant. *Past. Bon. pag.* 179. *sive part.* 4. *cap.* 6. *§.* 1. *n.* 3.

PRima impostura est, quod in propositione omittat Accusator, sermonem esse in Pastore Bono de quibusdam Animarum directoribus, qui dum cupiunt quosvis passim absolvere, in omni pœnitente, quantumvis malè disposito, quamdam verisimilitudinem dispositionis & quamdam necessitatem absolvendi prudentiâ carnis inveniunt. Quare sic exprimi debebat propositio: *A quibusdam Animarum Directoribus, in omni pœnitente, quantumvis malè disposito, per prudentiam carnis pro verisimili dispositione invenientur hæc & similia: Peccavit tantum ex infirmitate* &c. Quæ expressio cum narret tantum quid faciant quidam secundum carnem prudentes, qui quosvis passim absolvunt; non video quo pacto dici posset *temeraria, & injuriosa multis piis ac doctis Pastoribus*, ut propositionem censurat *Querulus*: cum nulli pii ac docti Pastores quosvis passim, quantumvis malè dispositos absolvant.

Altera Impostura est, "Quod Author Pastoris Boni non censeat, „prædictas dispositiones & necessitates posse etiam ponderari prudentiâ spiritus, quasi tunc ad absolutionem sufficerent."

Tertia, "Quod rejiciat signa conversionis sanctissima, & ad prudentiam carnis remittat illis acquiescere." Refl. 1.

Quarta, "Quod scopus ipsius videatur esse, non absolvere nisi „eos, quos certò constat jam à Deo absolutos esse. Refl. 2.

His addere possem propositiones 9. 10. & 12. quas ex verbis Pastoris Boni non satis fideliter Accusator fabricavit: sed imposturarum satis est.

Cum autem imposturas suas non probet; nolo iis refutandis immorari: sed superest aliquid circa propositiones 11. & 13. quæ possent fidelius excerptæ videri.

Propositio undecima hæc est: *Pro non dispositione pœnitentis sufficit sola operum absentia.*

R. Hæc, fateor, verba sunt Pastoris boni: sed miror ea ab ipso accusari potuisse; cum Theologum esse non putem, qui ea neget.

 Si-

Siquidem requirunt omnes, ut Confessioni saltem, dum fieri potest, præmittatur præparatio quæ in discussione Conscientiæ, & conatu ad eliciendos actus fidei, spei, dilectionis, propositi consistit: quam si ne pœnitens quidem, ubi potuit, adhibuerit, censebunt omnes solam illam præparationis istius absentiam pro non dispositione ipsius sufficere: Atqui hæc præparatio etiam inter opera recensenda est: proindè cum de Operum absentia loquitur Pastor Bonus, de illius etiam præparationis absentia loquitur. Non quod velit pro dispositione Pœnitentis præparationem istam passim sufficere: sed quod pro non-dispositione sufficere putet solam operum, atque adeò illius etiam præparationis, absentiam. Quandònam verò præparatio ista sufficiat, & quandonam præter præparationem istam alia etiam opera requirantur, ideo loco non determinat Pastor Bonus: tantum ponit generalem hanc regulam, pro dispositione Pœnitentis præcipuè ponderanda esse opera, juxta Evangelium, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*; solam autem operum absentiam pro nòn-dispositione sufficere.

Porrò ne videar verba Pastoris Boni in alienum sensum detorquere, manifestum est Pastorem bonum loco citato distinguere signa dispositionis in verba aut signa verbis tantum æquivalentia, & Opera: Quidquid autem est plusquam verba aut signa verbis tantum æquivalentia, sub Operibus comprehendit: Atqui præparatio ista, quæ in discussione conscientiæ & conatu ad eliciendos actus fidei, spei, dilectionis, propositi consistit, est plusquam verba aut signa verbis tantum æquivalentia: Ergo Pastor Bonus sub operibus istam etiam præparationem comprehendit. Absit tamen ut propterea censeat præparationem istam passim in peccatoribus sufficere: sed opera peccatorum gravitati, numero, durationi, aliisque circumstantiis proportionata requirit.

Propositione decimâ tertiâ accusat Certitudinem Moralem.

Sed hæc tum ex Decreto Innocentii XI. tum ex Illustrissimorum Ecclesiæ Præsulum Instructionibus, tum ex Theologorum omnium doctrina sic stabilita est, ut *Queruli Accusatoris* murmure concuti amplius non possit.

Innocentius XI. *illicitum esse* definivit, *in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore &c.* Atqui hoc facit is, qui certitudinem aliquam moralem non habet de dispositione Pœnitentis, quam habere potest: Ergo &c.

Illu-

Illustrissimus Episcopus & Comes Virodunensis in Instructione cui titulus: *Pratique du Sacrement de Penitence* &c. Tract. 3. de Contrit. hanc regulam præscribit tertiam: *Confessarius non debet (generaliter loquendo) supponere quod suus pœnitens veram contritionem habeat; sed debet se de ea securum reddere per signa* MORALITER CERTA. *Nam in praxi non supponitur, nisi id de quo dubitari non debet. Porrò nulla est inter partes pœnitentiæ, de qua tanta dubitandi ratio habeatur, quanta de Contritione.*

Illustrissimus Antistes Atrebatensis cap. 5. suæ *Instructionis* non minus disertè docet, *Persuasionem Confessarii de Contritione sui pœnitentis non debere esse persuasionem qualemcumque.... sed firmam, ut possit in ipso formare* CERTITUDINEM MORALEM.

Eandem esse Theologorum omnium sententiam, testatur idem Illustrissimus ibidem, dum addit: *Casuistas omnes, etiam laxissimos, in materia pœnitentiæ, illam necessariam in Confessario judicasse.*

Postremò ipsa ratio docet, dum non habetur certitudo quædam moralis de dispositione pœnitentis, haberi de ea morale dubium; dum autem de ea habetur morale dubium, tunc certum est, & Sacramentum periculo irreverentiæ, & suscipientem periculo salutis, & Ministrum simul cum suscipiente periculo sacrilegii exponi.

Cæterum si displiceat Accusatori definitio Certitudinis Moralis, quam ex scripto, *Certitudo Moralis*, adjungit; adeat *Responsionem Brevem* §. 3. & *Respons. pro Respons. Brevi* §. 1. Item *Disquis. Alteram* §. 13. & *Disquis. Alteram Assertam* §. 12. Ubi ea abundè defensa est. Ad ea quæ objicit veniamus.

1. Inter Patres chorum ducit S. P. Nilus; *Ne itaque*, inquit ille, *ruditer enunties, nuda pœnitentiæ verba à Deo non suscipi... Tu multos fortè & ingentes salute spolias cum dicis: Verba sola non suscipit Deus. Contraria servatori doces, ô homo!*

R. Si *nuda & sola verba* sufficiant S. Patri Nilo, profitemur nos ab illo recedere: si non sufficiant, objicii nobis non potest. De sensu autem ipsius contendere non libet.

2. Opponit Catechismum Romanum part. 2. de Sacram. Pænit. n. 82. ubi docet eos, qui prorsus imparati ad confessionem veniunt, posse absolvi, *si auditâ confessione judicaverit* (Sacerdos) *neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem, omnino defuisse.* Quid ergo, inquit, de aliis?

R. Imò verò docet ibidem Catechismus Romanus, *homines*

 pror-

prorsus imparatos debere *humanissimis verbis dimitti:* eos verò *qui affirmant se in eam rem omne studium & diligentiam contulisse*, audiendos esse, & *absolvi posse si auditâ confessione judicaverit.* &c.

3. Argumentatur ex parabola de filio prodigo, dicitque "totum "spatium, quod inter filii propositum eundi ad Patrem, & citam "Patris receptionem intercessit, in Evangelio non recitari: quia "conversio non itineris laboribus, sed recessui à porcorum pastio- "ne adscribitur."

R. Spatium istud recitatur his verbis: *Surgens venit ad Patrem suum.* Undè & conversio rectè, non solum recessui à porcorum pastione, sed & itineris laboribus adscribitur.

"At vim, inquit, maximam in adducto exemplo ponimus, "quod filius tot criminum reus, unicâ confessione defunctus sit, & "quod inter confessionem & reconciliationem nullum notabile tem- "pus intercesserit."

R. Et nos peccatorem tot criminum reum unicâ confessione defungi permittemus, nullâ inter confessionem & reconciliationem morâ interpositâ, si ea quæ filius prodigus, confessioni ultro præmiserit. Plura de filio prodigo vide in Doctrina de Lab. Bapt. pag. 123. & seqq. Item Disquis. Altera asserta §. 7. pag. 31. & seqq.

4. Objicit ex Concilio Tridentino sess. 14. c. 5. *Ipsam Confessionis difficultatem ac peccata detegendi verecundiam*, graves labores esse.

R. Non id diffitemur: sed illi præcipuè labores non sunt ob quos idem Concilium Pœnitentiam laboriosum Baptismum à Patribus dictum fuisse testatur.

5. Opponit ex Bellarmino De Pœnit. lib. 2. c. 11. "Non requiri „certum gradum intensionis, neque MORAM ULLAM TEMPORIS „ad veram contritionem."

R. Ipse Bellarminus se explicat, dum ex Ecclesiastico mox subjungit: *Facile est in oculis Dei subitò honestare pauperem.* Cap. 11. Quo significat, Deo quidem id facile esse; sed non propterea id Deum passim facere solere.

6. Adfert S. Franciscum Salesium, qui Collat. 18. dicit, VIX ESSE OPUS TEMPORE *ut* (actus Contritionis) *ritè eliciatur.*

R. Sanctus ille Collatione citatâ alloquitur Animas quasdam spirituales & perfectas, à quibus facilè actus contritionis circa venialia, quæ quotidie committunt, exiguo tempore elici nemo negat:

gat: Sed ab his argumentari ad peccatores, nec ſana Theologia nec Dialectica patitur.

7. Addit ex Auguſtino lib. 2. cont. Creſc. cap. 19. hæc verba: *Sive ad malum, ſive ad bonum*, PARVO MOMENTO *animus commutatur*.

R. Sed ſenſus Auguſtini alius non eſt, quàm parvo momento animum commutari, cum Deus vult: ut ex contextu apud Auguſtinum patet.

8. Aſſerit pleroſque, qui ex infirmitate labuntur, *quoad culpam* ſanari citò; nihilominus relinqui peccati reliquias ſucceſſivè ſanandas: ad quæ probanda citat S. Thomam p. 3. q. 86. a. 5. ad 1,

R. Sed ne verbo quidem illic S. Thomas ſignificat, eos qui ex infirmitate labuntur, cito quoad culpam ſanari: reliquias autem ſanari dicit aliquando ſubitò, aliquando ſucceſſivè.

9 Adducit Catechiſmum Romanum, "qui ex una parte nil altiùs „inculcat pœnitenti, quàm ut ſtatim confiteatur, & ex alia citam „à peccatis abſolutionem addicit." p. 2. c. 5. n. 42. &c.

R. Non aliud iſto & aliis ſimilibus locis, addicit Catechiſmus, quam Deum mox, ut peccator converſus eſt, veniam largiri.

10. Diſtinguendum eſſe ait forum poli à foro fori; *In foro* poli ſeu *conſcientiæ creditur homini pro ſe & contra ſe, non autem in foro exterioris judicii.* S. Thom. in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. ad 2.

R. "Non aliud vult S. Thomas, dum ait pœnitenti pro ſe & „contra ſe eſſe credendum, quam credendum ei eſſe SOLUM DE „FACTIS, ut quod confeſſus fuerit, quod talia fecerit vel non fece- „rit &c. Confeſſariorum autem eſt de dolore, propoſito, diſpoſi- „tione judicare ex ſignis." Sic iſtam S. Thomæ ſententiam explicat Doctor Steyaert in Aphoriſ. de Sacram. Pœnit. §. 15. n. 13. Quin & Accuſator ipſe hic illam limitat ex S. Carolo Borromæo his verbis: *Niſi probabilem de non ſincero emendationis propoſito metum faciat.*

11. Oppugnat Certitudinem Moralem ex S. Thoma p. 3. q. 80. art. 4. ad 5. ubi dicit, *quod homo* PER CERTITUDINEM SCIRE NON POSSIT, *utrum ſit verè contritus: ſufficere autem, ſi ſigna contritionis in ſe inveniat, puta ſi doleat de præteritis, & proponat cavere de futuris.*

R. Intelligit S. Thomas certitudinem omnimodam, qualem nec habebat Apoſtolus dicens: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*, 1. Cor. 4. cum tamen haberet Certitudinem

Moralem: Et ad hanc signa, etsi non omninò infallibilia, sufficiunt. Locum autem illum S. Thomæ fusiùs explicatum vide in *Disquis. Altera* à pag. 381. ad 392. Item in *Disquis. Altera Asserta* à pag. 73. ad 77. &c.

12. Rursus ex S. Thoma p. 3. q. 84. art. 10. ad 4. objicit, quod relabi in peccatum *non excludat, quin prima pœnitentia vera fuerit:* nos proindè ex quodam S. Gregorii loco malè concludere, solorum non relabentium propositum verum fuisse.

R. Non id concludimus: sed passim relabentium propositum meritò suspectum esse, cum S. Gregorio aliisque Patribus putamus.

13. Dicit Sacramentum Pœnitentiæ institutum esse, *ut per Sacerdotum sententiam, non* SEMEL, *sed* QUOTIES *ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possint liberari.* Trid sess. 14. c. 2.

R. Et nos hoc dicimus: sed an toties ad absolutionem dispositi sint, Sacerdotum prudentiæ Concilium relinquit.

14. Dicit Tertullianum ex nimia austeritate in Montanistarum Hæresim prolapsum esse, idque ab Adversariis diligenter notandum.

R. Sed non minùs notandum, plures in hæresim prolapsos esse ex nimia laxitate: ut prolapsi sunt Audiani.

15. Objici dicit ab Opstratio, quæ objiciuntur à Tertulliano jam lapso: *Quis timebit prodigere, quod habebit postea recuperare?* &c. lib. de pudic. cap. 9.

R. Usus est aliquando Opstratius his & similibus SS. Patrum locis: *Quod facilè sanatur non multum cavetur.* Aug. in Psalm. 6. *Si citò rediret homo ad pristinam beatitudinem, ludus illi esset peccando cadere in mortem.* Idem Serm. 34. de divers. c. 12. *Incentivum peccati tribueretur delinquenti.* Ambros. in Psal. 118. Idque non aliò, quam ut ex SS. Patribus ostenderet, quam perniciosa sit nimia in absolvendo facilitas: sed habere eum commune aliquid cum errore Tertulliani jam lapsi, atrox calumnia est.

16. Refutare conatur similitudinem desumptam à febricitante, dicens non adverti ab Opstratio, febrium malitiam naturalem esse, non moralem: malitiam autem moralem voluntate retractantis tolli; febrim autem non nisi purgatione peccantis humoris &c.

R. Similitudo in eo sita est, quod sicut recursus febris, stato tempore ut priùs redeuntis, signum est, adhuc dominari in corpore humorem illum peccantem, qui febrim producit, etsi tempore me-

dio intermittat: ita relapsus in peccatum, æquè frequens ac prius, signum sit, adhuc dominari in voluntate & nondum retractatam esse cupiditatem, quæ producit peccatum: signum, inquam, non infallibile, sed morale quoddam, quod sufficit ut conversio identidem relabentium suspecta sit.

17. Tandem objicit quædam ex libro *de vera & falsa pœnitentia* apud S. Augustinum, ubi dicitur: *Videmus adhuc quotidie in Ecclesiâ sæpe febricitantes, sæpe languidos, sæpe passionibus captos,* SÆPE LIBERARI; *ut appareat* TOTIES *opus miserantis,* QUOTIES *confessio pœnitentis.* cap. 5.

R. Hæc meritò Autor ille adversus eos, qui potestatem sæpius post Baptismum remittendi peccata in Ecclesia negabant: sed immeritò ea *Querulus* adversus nos, qui potestatem illam in Ecclesia palam profitemur.

Fatigo, scio, Lectorem hisce refutandis: sed veniam spero, qui non nisi coactus id faciam.

§. 14.

Refellitur impostura Accusationis *circa hanc propositionem:* Adeo ut prorsus sensu & judicio communi destituti esse videantur Directores illi, qui sine ulla vitæ mutatione prævia judicant suos Pœnitentes esse conversos, dummodo se de peccatis dolere, & emendationem proponere, verbis, gemitibus, lachrymis, aut similibus signis protestentur. *Past. Bon. parte* 4. *cap.* 6. §. 1. *num.* 3.

MUtilam esse propositionem, indicat particula, *Adeo ut*, à qua incipit: Indicat enim eam pendere à textu præcedente, qui supprimitur, ut facilius persuadeantur imposturæ, quæ sequuntur Reflex. 1. & 2. *Sensum propositionis tendere in censuram aliter sapientium, quasi sensu & judicio communi destituti esse videantur; & scopum videri esse, Directores animarum aliter practicantes odiosos & contemptibiles reddere.*

Siquidem propositio si cum suo contextu exhibeatur, reducitur ad hoc argumentum:" Ex solo sensu & judicio communi vulgus "statuit, conversos non esse, qui vitam & mores non mutant, ut "patet in Ludi-Magistro, Patre, Domino, Patre-familias &c. "Ergo sensu & judicio communi destituti esse videntur Directores "illi, qui sine ulla vitæ mutatione prævia judicant suos pœnitentes

 "esse

"esse conversos." Cujus argumenti solam conclusionem exhibuit Accusator, ut hæc à suo antecedente avulsa, duriuscula appareret.

Propositioni autem opponit hæc verba: *Considerabit Confessor animum mentemque pœnitentis, ac fletum, gemitum, & lachrymas intimi doloris indices.* S. Carolus in Sacram. de Sacram. pœnit. sub tit. 5.

R. Omnino hæc consideranda sunt; sed simul etiam consideranda est hæc S. Caroli Borromæi regula: *Consultum est absolutionem differre, donec evidens appareat emendatio in iis, qui* TAMETSI DICANT AC POLLICEANTUR *quod se eximent peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum, nè contrarium contingat.* Instruct. Past. p. 2. c. 15.

S. Patrem Nilum, aliosque, dicit se opposuisse ad propositionem primam: Ubi & illis responsum est.

§. 15.

Refellitur Accusatio *circa hanc propositionem quæ inter 61. fuit decima:* Quid agendum Confessario, si obtulerit se Sacerdos aut Pastor vitæ alioquin bonæ, sed qui ex infirmitate & tentatione insolita semel lapsus sit?.... Proindè æquum videri, ut cum olim Sacerdos lapsus in perpetuum, nunc saltem ad tempus valdè notabile ab officii sui munere excludatur. *Past. Bon. part. 4. Cap. 1. §. 7. & 9.*

PRiusquam ostendam, quam æquum hoc sit, duo observatum velim. Primum, agi hic de crimine, ob quod olim Sacerdos lapsus ab officio removebatur in perpetuum, ut ex ipsa propositione manifestum est.

Secundum, non agi de casu necessitatis: nam de eo speciatim agit Pastor Bonus §. 12. sequente, ubi & admittit necessitatem posse esse ejusmodi, ut liceat Sacerdoti lapso sine pœnitentia ad tempus notabile prius peracta celebrare aut Sacramentum aliquod administrare.

His observatis, quid mitius dici poterat de Sacerdote lapso in crimen, ob quod Clerici olim in perpetuum ab officio removebantur, quam æquum videri, ut dum nulla urget necessitas, ad tempus saltem valdè notabile ab eo removeatur?

Etenim "omne crimen, præsertim carnis, commissum post Baptismum, à tempore Apostolorum, sive secretum sive publicum,

"impedimento perpetuo fuiſſe ad recipiendum Sacros Ordines, "& adminiſtrandum jam ſuſceptos," oſtendit Eminentiſſimus Aguirrius Diſſert. 10. Excurſu 5.

Eandem diſciplinam ſtabilitam etiam fuiſſe variis Canonibus & Decretis Conciliorum Hiſpaniæ, oſtendit ibidem Excurſ. 1.

Quin & annis circiter quinquaginta poſt obitum S. Gregorii, ſæculo nimirum ſeptimo mediante, eam religioſè obſervatam fuiſſe, probat ibidem ex Epiſtola Martini Papæ ad Amandum Epiſcopum Trajectenſem, cui ita ſcribit: *Nullatenus in hujuſmodi peccato delinquentibus ad deſtructionem canonum Compaſſionem exhibeas. Nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps jam depoſitus erit, nullumque gradum Sacerdotii poterit adipiſci: ſed ſufficiat ei lamentationibus fletibuſque aſſiduis, quoadusque advixerit, in eadem pœnitentia perſeverare, ut delictum commiſſum divina gratia extinguere valeat.*

Porrò veterem iſtam diſciplinam proponit Vir Eminentiſſimus, non tantum ut cognoſcatur, *ſed & quodammodo, ſi fieri poſſit, ut inſtauretur quantum noſtrorum temporum conditio fert*, ut monet in Præfat. ibidem.

Nec dubitat, quin Canones illos de Clericis lapſis in peccatum carnis præ oculis habuerit Concilium Trid. ſeſſ. 22. ubi priſcos Canones *de Vita & honeſtate Clericorum* in uſum revocari & ab omnibus accuratè cuſtodiri præcepit. Ibid. Excurſ. 11.

Hinc neque dubitat," quin multi ex Patribus Tridentinis, velut "S. Carolus Borromæus, Venerabilis Bartholomæus de Martyribus "& alii ſimiles in ſuas Diœceſes reverſi, omni ſtudio & diligentia cura-"verint obſervantiam & inſtaurationem eorumdem Canonum, pro-"ut ipſis præceptum erat additâ comminatione illâ: *Ne ſubditorum "neglectæ emendationis ipſi condignas, Deo vindice, pœnas per-"ſolvant.* Undè & idem S. Carolus, ait, nihil magis curavit inculca-"vitque opportunè importunè, quàm obſervantiam & inſtauratio-"nem ſacrorum Canonum & veteris diſciplinæ Eccleſiaſticæ." Ibid.

Certè Inſtruct. Paſt. part 2. cap. 20. Confeſſarios monet his verbis: *Confeſſarius Canones pœnitentiales ad unguem ſciat oportet; nam quamvis illi poſſint & debeant ſecundùm prudentis & timorati Confeſſarii arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, perſonarum qualitas, diverſaque conditio, aliæque circumſtantiæ oſtendent; utiliſſimum tamen eſt ſemper ipſos Canones præ oculis habere, atque eos ad amuſſim reſpicere, quantum conveniens erit.*

K Quæro

Quæro jam, quid Confessarius hisce S. Caroli monitis obtemperare volens, minus facere possit; quam ut Sacerdoti in crimen lapso ostendat, olim sacerdotes ejusmodi à ministerio suo remotos fuisse in perpetuum; proindè æquum videri, ut ipse saltem removeatur ad tempus valde notabile, præsertim ubi nulla urget mox eum restituendi necessitas?

Si cui adhuc id minus æquum videatur; is, quæso, expendat, non solum Canonibus Ecclesiæ, sed & jure naturali ac divino sancitum esse, ut SANCTA SANCTE tractentur: non videri autem Sanctitatem tam Sanctis Mysteriis tractandis necessariam recuperari ordinariè à Sacerdote, qui tanto ea crimine contaminavit, nisi ad eam per tempus valdè notabile operibus pœnitentiæ, orationibus, aliisque pietatis exercitiis contenderit. Et esto eam citius recuperasset; quis poterit tam citò de ea recuperata securitatem præstare? Quis proindè non censeat, tutius saltem esse & æquius per tempus valdè notabile, dum nulla est necessitas, ab officio cessare, quam cum periculo sacrilegii, absque necessitate, se tam immaturè officio ingerere?

Hunc profectò vel hodiedum esse Ecclesiæ sensum, ex eo collige, quod Episcopus in Ordinatione Presbyterorum *providendum* esse dicat, *ut Cælestis sapientia, probi mores,* & DIUTURNA JUSTITIÆ OBSERVATIO *ad id electos commendet:* DIUTURNA enim non erit, nisi fuerit per *tempus valde notabile* continuata. Quod si *diuturna* fuisse debeat, antequam Ministerium Sacerdotale primùm suscipiatur: quidni & diuturnam fuisse oporteat, priusquam ad idem redeatur post crimen commissum? Nisi forte qui crimine ministerium suum commaculavit, & eo se indignum reddidit, citius ad illud venire dignus sit, quam qui numquam id sacrilegii commisit.

Præterea etsi Ecclesia veterem suum circa Sacerdotes lapsos rigorem relaxârit; adhuc tamen hodiedum vult, ut suo officio non restituantur, nisi post pœnitentiam dignè peractam. Quis autem post crimen censeat eos dignè pœnitentiam egisse, nisi saltem per tempus valdè notabile se ab Altari, quod contaminârunt, corde contrito & humiliato abstineant?

Hujus disciplinæ, post relaxatos antiquos Canones, assertorem habemus Sanctum Anselmum lib. 1. Epist. 56. ad Abbatem Guilielmum Edit. Colon. 1612. ubi suam de lapsis Sacros Ordines habentibus sententiam rogatus, respondet, *Eos, qui se apertâ libidinis*

con-

conversatione Deo reprobabiles exhibent (id est, Interprete Eminentissimo AGUIRRIO Dissert. 10. Excurs. 9. qui notoriè in ea parte peccarunt, sive quorum turpitudo nota est) juxta Sacros Canones & Sedis Apostolicæ Decreta, *nullatenus amplius Sacris Ordinibus uti posse*, sed debere ab Altari abstinere in perpetuum: Eos verò, qui occultè lapsi sunt, posse restitui, sed hâc conditione, *si per Sacrificium spiritus contribulati, cordisque contriti & humiliati Deum placantes, ad virtutum profectum studiosè contenderint.*

Tutiùs tamen esse dicit, etiam his, abstinere. "Quoniam, „inquit, fermè semper occultum est, *quorum remissæ sunt iniqui-„tates, & quorum tecta sunt peccata.*"

Sed quia non omnes volunt tutius istud amplecti, distinguit inter eos qui abstinent sponte, & eos qui abstinent inviti. Invitos (post actam nimirum dignè pœnitentiam) prohiberi quidem in perpetuum non debere existimat. Sed eos, qui indicenti cessationem sponte consentiunt, dicit multò tutiùs ministrare aut permissos aut etiam jussos. UTRISQUE tamen NECESSARIUM ESSE UT VEL AD TEMPUS ABSTINEANT.

En ex Anselmo plusquam Pastor Bonus desideret. Dixerat Pastor bonus, *æquum videri* &c. Dicit Anselmus, *necessarium esse* ut lapsus in crimen ad tempus abstineat.

Eandem Sacerdotibus lapsis disciplinam præscribunt etiamnum Ritualia, & Episcopi.

Instructiones Ritualis Alectensis citatæ à Doctore Steyaert in Thesi edita 7. Maii 1691. ita habent de Sacram. in gen. pag. 4. edit. 5. "Si adeo infelices forent (Sacerdotes) ut in peccatum a-„liquod mortale, præcipuè contra puritatem, laberentur; debe-„rent, quantùm in ipsis est, facere, ut vices eorum alius sacer-„dos suppleret, atque interea PER TEMPUS NOTABILE abstinere à „Missa celebranda & Sacramentis administrandis, committentes „se suo Episcopo aut alteri sacerdoti admodum spirituali, ut juxta „ipsius præscriptum congruam agerent pœnitentiam." Addit Doctor ille ibidem, Rituale istud ab Episcopis Galliæ ferè triginta approbatum fuisse.

Rituale Virodunense de Sacram. in gen. §. 3. de casu sacerdotis lapsi & in necessitate administrandi Sacramentum constituti ita loquitur: "Casus ille videri deberet moraliter impossibilis: nam etsi "omnes homines, quemcumque perfectionis gradum acquisive-"rint, semper in periculo labendi versentur, periculum tamen istud

 "adeo

"adeo remotum videtur à Sacerdote, qui qualitates habet chara-
"cteri suo respondentes, ut timori isti locus non sit... Sed infelici
"isto casu supposito.... quæ regula certa dari potest illi, qui ut
"novum sacrilegium evitet, non nisi momentum habet quo ve-
"niam postulet? Si Deus condonare non soleat iis, qui suum Bap-
"tismum violârunt, NISI POST FUSAS MULTAS LACHRYMAS; *Non
"sine magnis nostris fletibus & laboribus*: Credemusne facilè,
"eum flectendum ad primum verbum Sacerdotis? Consilium, quod
"suggerere illi possumus, & quod in funestis illis circumstantiis
"ipsi præscribimus, illud est, ut cum tunc Deo offerre non possit
"aut torrentes lachrymarum, aut ingentem bonorum operum nu-
"merum, aut pœnitentias culpæ suæ magnitudini proportionatas,
"QUEMADMODUM NECESSARIUM FORET.... offerat saltem illi mul-
"ta bona desideria &c." Ergo, ubi necessitas non est ministrandi, ibi, priusquam ad ministerium redeatur, NECESSARIUM esse dicit, fundere *torrentes lachrymarum*, *ingentem bonorum operum numerum* cumulare, *pœnitentias culpæ magnitudini proportionatas* subire, quæ omnia nisi tempore valde notabili præstari non possunt.

Sed quid plura? Ipsos Accusatores hic nobis consentientes habemus. Consentit nobis Doctor Steyaert in Thesi mox citata: Item in aliâ Thesi, quam defendit 18. febr. 1690. Ac tandem in sua *declaratione* ad Art. 36. inter *Articulos oblatos* &c. Ubi hæc habet:
"Quid de Sacerdotibus in peccata mortalia præcipuè carnalia lap-
"sis? Quid his agendum temporibus? Quamquam disciplina ve-
"tus etiamnum observanda non sit, quacumque enim occasione
"mutata sit, verè tamen & benè est mutata; tamen non eodem
"die aut post aliquot horas, ut quidam perperam asseruerunt
SED POST MAGNOS ET PER ALIQUÓD NOTABILE TEMPUS PERAC-
"TOS PŒNITENTIÆ LABORES, suppositâ conversionis veritate, ad
"ministerium suum tales readmitti posse videntur."

Adeò scilicet manifesta est hæc veritas, ut vel ab Adversariis testimonium accipiat: Ut mirari satis non possim Accusatoris nostri maledicentiam, qui Reflex. 2. dicit *scopum nostrum* in ea doctrina tradenda *videri esse unicum*, *persuadere hominibus nos omnes Heroës esse virtutum*, *ex nulla infirmitate labi*, *totos mundos*, ne dicam, ait, καθαρὺς. *Et in hunc fortasse finem D. Hennebellum se suosque in Memoriali Suæ Sanctitati contra Decreta Regia* (dicere debuisset, contra eos qui abutuntur Decretis Regiis) *oblato*, *non dubitasse appellare i più eccellenti in dottrina ed in pietà*,

tà, in doctrina & pietate excellentiores, quemadmodum Opstratius suos satis liberaliter nominat Pastores bonos. Hisce dicteriis adjungit aliud non minùs acerbum: "Utinam, inquit, non "confundantur sententiâ S. Hieronymi: *Rigidi autem sunt, non "quod & ipsi pejora non peccent; sed hoc inter nos & illos inter-"est, quod illi erubescant confiteri peccata, quasi justi: nos dum "pœnitentiam agimus, faciliùs veniam promeremur.*" Epist. 54. ad Marcellam. Quæ scommata ut Viro Religioso indigna sunt, ita nostro responso digna non credimus. Superest ut respondeamus objectionibus.

1. Ante Patres omnes objicitur S. Nilus, nescio quâ felicitate nuper ab Accusatore nostro in lucem productus. Dicit hic lib. 2. Epist. 261. "Divinâ Providentiâ, non Angelos, sed homines in-"firmos sacerdotes constitutos esse, ut erga lapsos humaniter se "præbeant. Nec contendendum, universos irreprehensibiles esse, "qui Ecclesiæ præsunt. &c.

R. Hæc omnia lubenter admittimus; sed sequiturne inde: Ergo *æquum non videtur, ut cum sacerdos lapsus olim in perpetuum, nunc saltem ad tempus valdè notabile à suo Officio removeatur?* Consequentiam negamus.

2. Citare etiam pro se audet S. Anselmum eo ipso loco, quem paulò ante adduximus, & profert ex ipso hæc verba: *De lapsis sacros Ordines habentibus, & spontaneâ voluntate secretò quibus debent confitentibus, nequaquam est asserendum, quod iisdem Ordinibus amplius uti nullatenus possint, si per sacrificium spiritûs contribulati, cordisque contriti & humiliati Deum placantes, ad virtutum profectum studiosè se converterunt... Prohiberi autem invitum debere, qui occultum crimen humili confessione sponte & occultè detegit minimè existimo..... Magni criminis reus esse videtur, qui talem cogit à sui Ordinis officio cessare.*

R. Persuadere mihi non possum, quod Accusator S. Anselmum legerit, aut saltem legerit attentè. Nam vel legenti manifestum est, S. Anselmum, ubi dicit talem à sui Ordinis officio non debere cessare, non aliud dicere, quàm eum, cujus lapsus occultus est, non debere cessare in perpetuum; quemadmodum dicit cessare debere eum, cujus lapsus est notus.

Quin & disertè dicit, NECESSARIUM ESSE ut lapsus quicumque AD TEMPUS ABSTINEAT & *non nisi cum magna Prælati discretione revocetur.* Discat hinc æquus judex, quàm parum citationibus Accusatoris fidendum sit.

3. Urgere tamen ex Anſelmo pergit incommoda, quæ ex doctrina noſtra timenda ſunt: Futurum ut, ſi inviti ab Ordinis ſui Officio prohibeantur, *multis obſtruatur via ſalubris confeſſionis, qui potiùs eligant in mortem penitus occultari, quàm hâc occaſione in certitudinem vel in ſuſpicionem alicujus criminis adduci.* Quod etiam incommodum narrat inter Gregorianos ſchiſmaticos in Armenia detectum, & Urbano VIII. relatum à Petro à Vitabolis 27. Maii 1631. apud Clementem Galanum pag. 132. Errore 15. "Si ſacerdos in carnis peccatum vel ſecretiſſimè labatur, Con-„ feſſarius in Sacramentali Confeſſione privat eum facultate cele-„ brandi: ex quo peſſima inolevit conſuetudo, ut ſacerdos in ejuſ-„ modi peccatum lapſus, minimè illud confiteatur, eoque macu-„ latus non ceſſat uſque ad mortem celebrare."

R. Ob hoc incommodum docet quidem S. Anſelmus, ſacerdotem lapſum occultè poſt actam dignè pœnitentiam prohibendum non eſſe ab officio in perpetuum, ſi invitus ſit; ſed minimè docet, eum propterea prohibendum non eſſe ad tempus, donec dignam pœnitentiam egerit: imò verò docet id eſſe NECESSARIUM, ut jam ex ipſo vidimus.

Quod ad Gregorianos ſchiſmaticos attinet, videtur adhuc apud ipſos ſacerdos in carnis peccatum occultè lapſus privari facultate celebrandi in perpetuum: proinde juxta S. Anſelmum poteſt adverſus uſum iſtum meritò hoc incommodum urgeri: minimè verò adverſus uſum, quem ipſe neceſſarium judicat, ut ſacerdos ſic lapſus ab Officio ſuo prohibeatur ad tempus, quo dignam pœnitentiam agat.

4. Ex Auguſtino Homil. 50. adfert hæc: "Multos etiam in ip-„ ſis honoribus Eccleſiaſticis Præpoſitorum & Miniſtrorum non „ congruenter vivere ſermonibus & Sacramentis quæ per eos popu-„ lis miniſtrantur."

R. Sed indéne rurſus ſequitur, eos, dum crimina ſua confitebantur, tempore Auguſtini ab altari remotos non fuiſſe; aut hodie æquum non eſſe ut removeantur ſaltem ad tempus? Nec ipſe, credo, Accuſator exiſtimat, doctrinam quam accuſat, poſſe argumentis ejuſmodi labefactari.

130

§. 16.

Detegitur Impostura enormis circa propositionem hanc quæ inter 61. fuit undecima: Si de genere illorum sit, quos primo loco recensui, qui non solùm sit criminosus, sed etiam criminosus cum scandalo Vulgi (*Opstraet Past. Bon. pag.* 130. *lin.* 5.) talis etiam post peractam pœnitentiam non est Pastor qui fuit antè publicus peccator. *Ibid.* 131. *lin* 2.

Imposturæ hujus enormitas patebit, ubi propositionem exhibuero suppletis lineis, quas Accusator omisit. Sic enim ea se habet in Pastore Bono: *Si* (Pastor) ...*non solum sit criminosus, sed etiam criminosus cum scandalo vulgi... obtentâ ... post dignam & diuturnam pœnitentiam absolutione, nescio an unquam vel ipsi vel Ecclesiæ expediat ut suo officio restituatur. Quomodo enim ipsi expediat officio restitui, qui debet potius peccata in officio commissa humiliter deflere? Aut quomodo id expediat Ecclesiæ, quæ utiliter regi non potest, nisi ab iis, qui sunt* VITÆ IRREPREHENSIBILIS ET FAMÆ INTEGRÆ? *Jam autem talis, etiam post peractam pœnitentiam, non est Pastor qui ante fuit publicus peccator.* Ubi manifestum est non aliud asseri, quam non expedire Ecclesiæ, ut Pastor criminosus cum scandalo vulgi, etiam post actam pœnitentiam suo officio restituatur, eò quod Ecclesia utiliter regi non possit nisi ab iis qui sunt VITÆ IRREPREHENSIBILIS ET FAMÆ INTEGRÆ: *Talem* autem (*vitæ* nimirum *irreprehensibilis & famæ integræ*) etiam post peractam pœnitentiam non esse Pastorem qui fuit ante publicus Peccator.

Sed Accusator omissis iis, ad quæ refertur vox, *talis*, & his præcipuè, *vitæ irreprehensibilis & famæ integræ*, effecit ut sensus esset: *Pastorem talem, qui antè fuit publicus peccator, etiam post actam pœnitentiam, non esse Pastorem.*

Deprehensa fuit calumnia, & *non fideliter* eam *extractam* fuisse ipse hic Accusator *in Censura*, quam adjungit, fatetur. Non tamen satis ingenuè, cum mox addit: *Notæ propter brevitatem fuerant omissæ aliquæ lineæ.* Quasi verò, sensum propositionis tam enormiter pervertere, sit *propter brevitatem* aliquas lineas omittere. Si enim hoc sit propter brevitatem aliquid omittere, quidni accusare liceat Sacram scripruram de hac propositione: *Non est Deus?* Propter brevitatem enim omittam hæc: *Dixit insipiens in corde suo.*

Debuerat post hæc Accusator erubescere: sed adeò non erubuit, ut audeat etiam propositionem, prout est in Pastore bono, tamquam *temerariam* censurare. Censuram illam nunc excutiam, ac ostendam *temerarium* dici non posse Pastorem Bonum, qui dixit: *Nescio an Ecclesiæ expediat, ut umquam suo officio, etiam post actam pœnitentiam, restituatur Pastor, qui antè fuit publicus peccator.*

A censura illa Pastorem Bonum vindicant.

1. Canon Apostolicus: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse* 1. Tim. 3. Irreprehensibilis enim non est, cujus peccatum fuit publicum, etsi de eo pœnitentiam egerit, ut mox docebo.

2. Canones & decreta Sedis Apostolicæ, quæ in hunc usque diem vigent, vetantque Clericos, quorum lapsus est publicus, officio suo umquam restitui.

Horum Canonum & Decretorum Vindex & Assertor strenuus est Eminentissimus AGUIRRIUS Dissert. 10." Clamant, inquit, „& consentiunt in iis excludendis Conciliorum omnium Canones „& Pontifices, ac sancti Patres totâ Dissertatione allegati Excurs. „9. n. 129. Quamvis enim disciplina Ecclesiastica successu temporum adeo laxata fuerit, numquam tamen Ecclesia voluit aliquid „generaliter statuere adversus tot Sedis Apostolicæ veneranda De„creta, & innumeros ferè Conciliorum Canones, spiritu Dei con„ditos, & totius mundi reverentia consecratos, quibus clerici præ„sertim post sacrum Ordinem lapsi palam in peccatum carnis, per„petuo deponuntur ab exercitio. Excurs. 10. n. 144. Si autem lap„sus carnis sacerdotum fuerit manifestus, undè ipsam sinistram „suspicionem aut notam juridicè vel publicè apud alios contraxe„rit, jam plura præmisimus tota Dissertatione, & sæpè diximus, „nullum aditum apparere in Conciliis aut sacris Canonibus, imo „neque in illis Epistolis suppositis Gregorio Magno ad Secundi„num, & Isidoro ad Messanum, ut redeant ad munus sacerdotale „exequendum. Quare solum videtur restare illis locus agendi pœ„nitentiam" Ibid. Excurs. 12. 179.

3. Eandem disciplinam confirmat S. Anselmus lib. 1. Epist. 56. supra citatus, ubi cum ex Epistola S. Gregorii, ut inscribitur, ad Secundinum resolvisset, Presbyterum occultè lapsum, post actam dignè pœnitentiam posse officio restitu, objicit sibi ipsi eundem S. Gregorium in aliis suis quibusdam Epistolis, ubi eum restitui studiosè prohibet, cumque supponeret, ut eo seculo supponebant ferè omnes, Episto-

Epistolam illam ad Secundinum germanam esse, hanc conciliandi inter se contrarias S. Gregorii Epistolas rationem invenit, ut diceret, eum in aliis quidem Epistolis reditum prohibuisse Clericis lapsis palam, in aliis verò, post dignam pœnitentiam, concessisse lapsis occultè. Verba ipsius sunt: *Sed quoniam idem Beatus Gregorius idipsum in aliis suis quibusdam Epistolis studiosè prohibet; nè sibi ipsi contrarius sit, de apertis quidem prohibuisse, de occultis verò post dignam pœnitentiam concessisse intelligitur.* Ubi S. Anselmus, etsi ex supposititia S. Gregorii ad Secundinum Epistola resolvat, Presbyterum occultè lapsum posse officio post dignam pœnitentiam restitui; disertissimè tamen ex aliis ejusdem Gregorii Epistolis id negat de eo cujus lapsus est publicus. Quod & confirmat paulo antè, ubi rationem allegat, cur occultè lapsus possit post dignam pœnitentiam restitui: *Nam*, inquit, *nec apud Deum reprobatur officium alicujus propter culpam quam ipse agnoscit; nec apud homines decoloratur Sacri Ordinis dignitas, cujus peccatum non cognoscunt:* QUIBUS DUABUS CAUSIS *carnalis lapsus prohibet ad Sacros Ordines* REDITUM.

Si duabus illis causis carnalis lapsus prohibet reditum, redire certè non potest is cujus lapsus est publicus, quia HOMINES PECCATUM ILLIUS COGNOSCUNT.

4. S. Anselmo consonat S. Thomas in Supplem. Quæst. 28. art. 1. ad 3. "Post publicam pœnitentiam, inquit, peccator non redit „ ad hanc dignitatem, ut possit ad Clericatum assumi, & Episco-„pus talem ordinans potestate ordinandi privari debet, nisi fortè „ necessitas Ecclesiæ id exposcat aut consuetudo; tunc enim dis-„pensativè recipitur ad minores, non autem ad sacros." Rationes quatuor assignat. "Primò propter dignitatem Ordinum istorum. „Secundò, propter timorem recidivi. Tertiò, propter scandalum „vitandum, quod posset in populo oriri ex memoria præcedentium „peccatorum. Quartò, quia non haberet frontem alios corrigen-„di, cum peccatum ejus fuerit publicum."

Meritò ergo dixit Pastor Bonus, nescire se an vel Pastori, qui cum scandalo vulgi criminôsus fuit, vel Ecclesiæ expediat, ut Pastor ejusmodi suo officio restituatur. Istud mirum, ausum fuisse Accusatorem censurare Propositionem, quæ tot Canonibus & Conciliorum Decretis, tantis Sanctorum autoritatibus & rationibus stabilitur. Minimè verò timendum ab Ecclesia Romana, ne contra tot tamque aperta Summorum Pontificum & Conciliorum De-

creta, nunc primum in favorem Sacerdotum, qui publicè criminosi sunt, decernere aliquid incipiat: præsertim ubi Synodus Tridentina sess. 22. cap. 1. de Reform. disertè statuit, ut non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, observentur Canones & Decreta, quæ alias à Summis Pontificibus & à Sacris Conciliis *de Clericorum Vita....* copiosè ac salubriter sancita fuerunt. In quibus cum præcipui sint Canones illi, qui vetant Clericos in peccatum carnis palam lapsos, officio restitui; dubitare non licet, ait Eminentissimus AGUIRRIUS Dissert. 10. n. 149. id ipsum desideratum & confirmatum à Concilio Tridentino. Superest ut quæ objicit *Querulus*, refellamus.

1. Contrarium, inquit, docuit & practicavit Christus Dominus in Petro.

R. Idem sibi objicit Augustinus lib. 1. ad Bonif. seu Epist. aliàs 50. nunc 185. cap. 10. *Beatum Petrum*, inquit, *quando amarissimas lachrymas fudit, utique Dominum negasse pœnituit, & tamen Apostolus mansit.* *Sed* (respondet) *non ideò supervacua putanda est posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur; experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta malorum.* Non rectè igitur à Petri post lapsum restitutione argumentum ducitur.

Notat præterea Eminentissimus AGUIRRIUS Dissert. 10. n. 132. dispensatum quidem aliquando fuisse cum iis qui lapsi erant in peccatum hæresis vel schismatis, sed non cum iis qui lapsi erant palam in crimen carnis: "Eo quod hoc, inquit, videatur majorem in-"centiam & deformitatem afferre tractandis divinis mysteriis, quæ "jure suo speciali exigunt insignem puritatem in corpore, nec so-"lum in anima: ac proinde vel in iis, qui jam dignos pœniten-"tiæ fructus egerunt, & veniam apud Deum & homines accepe-"runt, relinquunt velut maculam quamdam sive notam apud om-"nes ejus turpitudinis antiquæ conscios, ut indecens appareat cum "illis dispensare, vel eos restituere vel promovere."

2. *Peccat, inquit, propositio, concedens secreto Confessario amotionem, quæ soli Tribunali publico competit.*

R. Ad similem de pœnitentia solemni objectionem respondet S. Thom. in Supplem. q. 28. art. 1. ad 2. *Quod pœnitentia solemnis* (dico ego, amotio ab altari) *quantùm ad injunctionem non exit forum occultum: quia sicut occultè quis confitetur, ita oc-*

 132

cultè ei pœnitentia injungitur: sed executio exit forum occultum, & hoc non est inconveniens.

3. Peccat, inquit, propositio non recognoscens, quod Pastor emendatus possit ædificare & regere. Quemadmodum si Flodoardo credimus, Angelus Domini Genebaldo Laudunensi Episcopo, post publicam pœnitentiam emendato, dixit: *Suscepit Dominus pœnitentiam tuam... Fac ministerium Episcopalis Officii* &c.

R. Posse Pastorem emendatum, post publicam pœnitentiam, casu aliquo singulari ædificare, & regere, non negat propositio: sed negat passim id rectè fieri, aut à Canonibus permitti. Atque hoc confirmat vel ipsum exemplum Genebaldi, quod Accusator adducit. Nam Genebaldus in perpetuum abstinuisset ab Altari, nisi ipse Angelus Domini, post publicam & longam pœnitentiam ei dixisset: *Surge & hinc egrediens, fac ministerium Episcopalis Officii.* Neque verò umquam illum restituisset S. Remigius, qui absque ulla spe restitutionis pœnitentiæ illum addixerat; nisi miraculo & speciali Dei jussu, ut eum restitueret, admonitus fuisset. *De reclusione divino jussu eductum Sedi suæ restituit*, inquit Sigebertus.

4. Sophisma esse dicit, quod de ministrorum irreprehensibilitate propositio objicit: Aliam enim esse pro præsenti, quæ sufficit; aliam pro præterito, quæ desiderabilis est, sed non requiritur.

R. Mirum, si non advertat sophisma esse quod ipse objicit. Nam etsi irreprehensibilitas pro præsenti sufficiat; ea tamen pro præsenti haberi non solet, dum quis pro præterito in crimen publicum, & præsertim carnis, post sacros Ordines lapsus fuit: ut paulò ante ex S. Thoma & Aguirrio ostensum est.

5. Dicit alioqui nec Petrum fuisse umquam suo officio restituendum, postquam ei Paulus in faciem restitit, *quia reprehensibilis erat*. Gal. 2.

R. Non existimo eum seriò hoc objicere: quippe qui ignorare non possit, quod nemo ignorat Theologus, Petrum reprehensibilem non dici ob crimen aliquod de quo solo hic agitur; sed ob simulationem tantùm venialem, ob quam nemo umquam dixit debere Ecclesiæ Ministros ab officio cessare.

6. Objicit Epistolam quæ sub Gregorii Magni nomine circumfertur ad Secundinum. Item Epistolam Calixti 1.

R. Adeòne in antiquitate peregrinus est Accusator, ut quod omnes docti agnoscunt, ipse solus ignoret? Unius tantùm, sed E-

minentissimi juxta ac doctissimi Viri de Epistolis illis judicium proferam, AGUIRRII: "Epistolam, inquit, nomine tanti Pontificis "ad Secundinum intrusam fuisse exemplaribus quibusdam Operum "S. Gregorii, vel saltem interpositam ab aliquo impio aut sciolo, "quoad eam partem de sacerdotibus lapsis post pœnitentiam restituendis, videtur evinci ex tot tanti Pontificis testimoniis, quibus palam tradit oppositum, illudque ubique & constanter exsequitur, veluti præscriptum Canonibus sacris, à quibus fas non esset deviare: Unde doctissimus Joannes Morinus in Volumine insigni de Pœnit. lib. 4. c. 15. censet in ea Epistola inveniri nonnulla vitiata ac corrupta: quale imprimis est, quod Sacerdotes "lapsi in peccatum carnis restituantur ad gradum pristinum post "pœnitentiam actam. Accedit quod Goussinvillæus in suis Observationibus ad eandem Epistolam, laudatus à Merbesio tertiâ parte *Summæ Christianæ* Quæst. XXVI. pag 437. testatur, partem illam ejus Epistolæ de sacerdotibus in carnale delictum prolapsis, in pristinum gradum post actam pœnitentiam recipiendis, "vix reperiri in uno aliquo ex triginta M. SS. & nullatenus extare "in vetustissimo Codice Rhemensi, in quo descriptæ inveniuntur "omnes Romanorum Pontificum Epistolæ à Gelasio ad Joannem "VIII. id est, quatuor ferè sæculorum decursu ab anno Christi "CCCCXCII. usque ad DCCCLXXXII. Accedit testimonium "Mamesii asseverantis eandem particulam minimè extare in aliquo "ex octo M. SS. pervetustis Anglicanis. Idemque testatur Wendrokius in Notis ad Epistolam VI. Provincialem sect. 3. §. 3. de "antiquissimo quodam exemplari Clarævallensi Registri Gregoriani. Quæ omnia argumento sunt, præjactæ ad Secundinum Epistolæ assutum fuisse postea centonem illum adeo contrarium "doctrinæ expressæ tot locis à S. Gregorio..... Insuper observa, inquit, in Collectione illa Conciliorum & Epistolarum Decretalium à tempore S. Clementis Papæ usque ad Gregorium Magnum "inclusivè, quam fecit Isidorus Hispalensis... nullatenus extitisse "Epistolam prædictam ad Secundinum cum illo additamento de "restitutione sacerdotum lapsorum post debitam pœnitentiam..... "Collige præterea, nec in eadem Collectione tempore ipsius S. Isidori extitisse Epistolam illam secundam S. Calisto Papæ adscriptam Tomo 1. Conciliorum cujuslibet editionis, in qua dicitur "inter plura alia: *Errant qui putant, Domini Sacerdotes post "lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino ministrare*

"*non*

" *non posse, & suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxe-*
" *rint, & suum sacerdotium condignè custodierint* &c.... Quaprop-
" ter non miror, Viros aliquot eruditos tempore Gregorii XIII. in-
" cumbentes correctioni Decreti Gratiano adscripti, rejecisse eam
" partem Epistolæ secundæ Calisti Papæ, veluti assutam & confi-
" ctam, ut testatur doctissimus Antonius Augustinus Dialogo IV.
" lib. 2. *De Emendatione Gratiani.*" Hæc AGUIRRIUS Dissert.
10. n. 40. 41. & 42. Item n. 48. 49. & 50.

Sufficient, spero, ista, ut discat Accusator, Epistolam nomine Gregorii Magni ad Secundinum, & Epistolam Calixto Papæ adscriptam, eâ saltem parte quâ illas citat, germanas non esse.

At demus illi quod falsum est, & supponamus paulisper, eâ etiam parte illas germanas esse; quid inde conficiet?

R. Non aliud, quam Sacerdotes lapsos occultè, post actam dignè pœnitentiam, posse officio restitui; minimè verò sic restitui posse lapsos palam. Cum enim S. Gregorius lib. 3. Epist. 26. & Epist. 38. Item Regist. lib. 4. Epist. 5. 16. & 17. Item lib. 6. Epist. 39. & alibi, constanter doceat, lapsos post Sacrum Ordinem in crimen carnis, etiam post actam dignè pœnitentiam, restitui numquam posse; & tamen simul supponatur docuisse ad Secundinum, eos posse post actam dignè pœnitentiam restitui: aut dicendum erit, Sanctum Gregorium sibi ipsi contrarium esse, aut certè secum conciliandum hâc distinctione, ut restitutionem neget, etiam post actam pœnitentiam, lapsis palam; concedat autem lapsis occultè. Quâ ratione Epistolam ad Secundinum, quam genuinam esse putabat, cum aliis Gregorii Magni Epistolis conciliavit S. Anselmus lib. 1. Epist. 56. supra citatâ. Porrò sibi ipsi contrarium esse S. Gregorium, non dicet Accusator. Superest ergò ut dicat nobiscum, lapsos palam in crimen, præsertim carnis, etiam post actam pœnitentiam, juxta S. Gregorium restituendos non esse.

§. 17.

Refellitur Accusatio *circa hanc propositionem, quæ inter* 61. *accusatas fuit duodecima:* Eandem regulam servare debet Confessarius, qui in tali necessitate Sacerdotis lapsi Confessionem audiret. Neque enim aliâ conditione deberet ipsi aut Missæ celebrationem, aut Sacramentorum administrationem permittere, quam ut ubi primum necessitas desiisset, se ab Officio suo removeret, ut ad tempus notabile dignam pœnitentiam perageret, non rediturus ad suum Officium, nisi id expedire judicaretur. *Past. Bon. Parte* 4. *Cap.* 1. §. 12.

HÆc doctrina non tantùm Pastoris Boni est, sed ipsius Doctoris Steyaert in Thesi Sabbathina die 18. feb. 1690. & in sua *declaratione* ad art. 36. inter *articulos oblatos* &c. ubi eandem Thesim repetit his verbis: "Verùm quid de sacerdotibus, in peccata "mortalia præcipuè carnalia lapsis? .... Quid his agendum tem-"poribus? .... Non eodem die aut post aliquot horas, ut quidam "perperam asseruerunt, sed post magnos & per aliquod notabile "tempus peractos pœnitentiæ labores, suppositâ conversionis ve-"ritate, ad ministerium suum tales readmitti posse videntur. Et "quidem brevius tempus esse potest pro Sacerdote aliàs bonæ vitæ, "qui occultè & per extraordinariam tentationem ceciderit. Ve-"rùm si quis recidivam passus & corde corrupto sit; ad aliquod "bene regulatum Monasterium, ut ibidem diuturniorem pœniten-"tiam peragat, remittendus videtur. Quid verò de bono isto; ut "supra, ita infeliciter & occultè cadente, & subitò presso, ut pro "Parochianis die Dominico aut festo celebret, orituris alioqui com-"motionibus, ut fieri amat, ingentibus? Supponitur is gemiti-"bus & lachrymis veniam in Confessione postulare, paratusque "postea facere quæ videbuntur. R. Nos primâ Vice permissivè "nos non habebimus, sed lachrymis ejus miscentes lachrymas no-"stras, absolutione donatum ad Altare dimittemus, FACTURUM "POSTEA, ut jam dictum est de Pœnitentia Sacerdotis lapsi, ANTE-"QUAM OFFICIO RESTITUATUR."

Eandem doctrinam iterum palam defendit 7. Maii 1691. dicitque esse fere 30. Episcoporum Galliæ rigidissimorum. Ita tunc loquebatur, quia accusabatur de laxitate: "Circa quæstionem, in-„quit, famosam *de Sacerdote lapso*, sentimus, quod manifestè

„sine

„sine ullius abominatione (laxitatis saltem nomine) Rituale A-„lectense, à rigidissimis quibusque Episcopis Galliæ fere 30. ap-„probatum, de Sacramentis in genere pag, 4. edit. 5." Ipsa autem verba Ritualis Thesi suæ per Appendicem subnectit; quæ latinè è gallico versa sic habent: "Si (sacerdotes, & speciatim Pa-„stores Animarum) adeo infelices forent, ut in aliquod peccatum „mortale, præcipuè contra puritatem laberentur, facere deberent „quidquid in se est, ut per alium aliquem sacerdotem vices suas „suppleri curarent; atque interea PER TEMPUS NOTABILE abstinere „à Missa celebranda & Sacramentis administrandis, committentes „se suo Episcopo, vel alicui sacerdoti valdè spirituali, ad pœni-„tentiam convenientem ipsorum consilio agendam.

"Et Sacerdos quidem, cui hoc malum contigisset, non minus „se credere deberet ad hanc rationem ineundam teneri, eo quod „non invento alio Sacerdote, coactus fuisset necessitate indispen-„sabili ad Missam celebrandam vel Sacramentum aliquod admi-„nistrandum, præmissâ solum peccati confessione, vel etiam, ubi „copia Confessarii deerat, contritione tantum coram Deo exhibi-„tâ. Debuisset enim credere, quod Deus ipsum misericorditer non „respexisset, nisi quod in fundo cordis ipsius vidisset verum desi-„derium reparandi lapsum tam grandem per dignos fructus pœ-„nitentiæ juxta spiritum & regulas Ecclesiæ: Id quod deberet abs-„que mora exequi, respiciens etiam tamquam novam causam do-„loris ipsam necessitatem in qua fuerat Sacramentum aliquod in „eo statu administrandi."

Memini me interfuisse Disputationi, in quâ Thesim istam defendebat Doctor Steyaert: & ne quem terreret Rituale Alectense, cujus autoritatem citabat, monebat non esse prohibitum illud, sed aliud quoddam legi permissum. Quod ut ut sit, teste certè Doctore Steyaert, triginta circiter Episcoporum Galliæ est Doctrina ista, quam nunc *Querelæ* Author Accusat, ac veluti *temerariam & perniciosam in praxi* censurat.

Addo his Rituale VIRODUNENSE supra etiam citatum, ubi de Sacram. in gen. §. 3. præscribitur Sacerdoti lapso, ut si in necessitate coactus fuerit præmissâ tantum Confessione, vel actu contritionis, Sacramentum aliquod administrare; post illud administratum subjiciat se directioni sapientis & habilis alicujus Directoris, ut peccatum suum expiet, ut impleat exactè quod proposuerat, & deinceps adversus tale periculum se muniat. Ad iram autem Dei tali

casu placandam, necessarios esse dicit *lachrymarum torrentes, ingentem bonorum operum numerum, & pœnitentias magnitudini criminis proportionatas.* Nunc quid objiciat *Querulus*, videamus.

1. " Propositio, inquit, nimis manifestè repugnat omnibus su-„pradictis."

R. Imò verò multò manifestius per ea, quæ supradictis responsa sunt, confirmatur.

2. Repugnat Tridentino, quod casum nostrum in individuo complectitur," agens de sacerdote in celebrandi necessitate posito, quem "*sibi peccati mortalis conscium*, ubi copia Confessarii deest, sinit „celebrare, injuncto onere, non ut à ministerio suo desistat, *sed si „necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebra-„verit, quamprimum confiteatur.*"

R. Si nihil aliud eo casu requirat Concilium; sequitur totam Sacerdotis quantumvis impii ad celebrandum præparationem solâ criminis Confessione, aut, si copia Confessarii deest, solâ contritione, qualis ab homine ejusmodi tempore tam exiguo expectari potest, contineri: quod à mente Concilii prorsus alienum esse nemo dubitaverit. Dico, *Sacerdotis quantumvis impii:* nam Concilium agit de sacerdote *sibi conscio peccati mortalis*, nullâ distinctione factâ inter sacerdotem lapsum ex infirmitate & ex malitia, inter relapsum & non relapsum, inter consuetudinarium & non consuetudinarium ac proindè omnibus istis sufficiet, aut Confessionem celebrationi præmisisse, aut, si copia Confessarii defuerit, post celebrationem quamprimum confiteri. Quod cum nequaquam admitti possit, respondendum est, dicere quidem Concilium, quid necessariò facere debeat Sacerdos qui urgente necessitate absque prævia Confessione celebraverit, nimirum ut *quamprimum confiteatur*; sed quod id sufficiat, minimè dicere: Contra verò, dum illum jubet quamprimum confiteri, satis insinuare, facere eum debere quod Ritualia & Episcopi triginta jam citati præscribunt: Ut se sapienti alicui directori subjiciat, & ex illius præscripto dignâ pœnitentiâ crimen eluat, ejusdem arbitrio relinquens, an citò Altari restituendus sit, an verò diutius, aut etiam in perpetuum, ab eo removendus.

§. 18.

135

§. 18.

Refutantur Imposturæ Accusationis circa hanc propositionem, quæ inter 61. fuit trigesimanona: Si jubeat celebrari ingentem numerum Missarum non sine magnis sumptibus, docere potest (Pastor) illum non tam habiturum merita pro numero missarum, quas fieri jubet, quam pro mensura charitatis, quâ fieri imperat. Quod verò existimare posset infirmus, se tunc quidem habiturum mercedem pro eleëmosynis, sed participem non fore sacrificiorum, quorum alioquin particeps fuisset; vel saltem non æquè participem, ac si ipse ea specialiter pro se celebrari jussisset; rursus instruere eum oportet: Primum, quod etsi pro se specialiter sacrificia celebrari jussisset; Deus tamen non tam respiciat pretium, quàm charitatem, quâ celebrari jubentur. Deindè, quod etsi pro se nulla celebrari jussisset, omnium tamen sacrificiorum, quæ per mundum universum offeruntur, futurus sit particeps, si potius ad sublevandas necessitates pauperum, quam ad celebrandas pro se Missas, secundum rectum ordinem charitatis, suas pecunias relinquat. Etenim sacrificia omnia pro fidelibus omnibus, tam vivis quam defunctis, nemine excluso, offeruntur: Deus verò unumquemque pro suo beneplacito, juxta mensuram charitatis uniuscujusque, reddit illorum participem. *Past. Bon. parte* 4. *Cap.* 8. §. 7.

PRopositio fideliter è Pastore Bono extracta non est: Nam manifestum est in Pastore Bono agi de Infirmo qui aliquid disponit contra charitatem Dei vel Proximi. Verba Pastoris Boni sunt: *Si infirmus aliquid disponat contra Charitatem Dei vel proximi; Pastoris est ipsum instruere. Ut...* Hæc verba omittit Accusator, ut non appareat agi de infirmo, qui aliquid disponit contra charitatem Dei vel proximi. Absolutè autem Accusationem inchoat his verbis: *Si jubeat celebrari* &c. ac si de quovis infirmo, etiam juxta ordinem Charitatis disponente, ageretur.

Hoc si observetur, nihil incommodi erit in tota Pastoris ad infirmum ejusmodi Instructione.

Etenim *si infirmus* (CONTRA CHARITATEM DEI VEL PROXIMI) *jubeat celebrari ingentem numerum Missarum non sine magnis sumptibus* (quos juxta rectum ordinem charitatis deberet v. g. vel pauperibus vel prolibus suis relinquere) quid rationabilius illi dicere

O re

re potest Pastor, quam ut tam ingentem Missarum numerum tantis sumptibus, contra charitatem Dei vel proximi celebrari non jubeat: Equidem *non tam* eum *habiturum merita pro numero Missarum* (quas contra rectum Charitatis ordinem *fieri jubet*) *quam pro mensura charitatis*, *quâ* pauciores *fieri imperat*.

Quod si existimet infirmus, se tunc quidem habiturum mercedem pro eleëmosynis; sed participem non fore sacrificiorum, quorum alioquin particeps fuisset; vel saltem non æquè participem fore, ac si ipse ea specialiter pro se celebrari jussisset: rursus eum, ait Pastor Bonus, *instruere oportet*.

Primum, quod etsi pro se specialiter sacrificia (contra charitatem Dei vel proximi) *celebrari jussisset; Deus tamen non tam respiciat pretium*, (quod contra charitatis ordinem ad Missas celebrandas datur) *quàm charitatem, qua* (Missæ pauciores) *celebrari jubentur. Deindè, quod etsi pro se nulla celebrari jussisset* (quod ex necessitate sæpè facere debent Pauperes, & ex charitate nonnumquam alii, qui aut pauperibus, aut Prolibus tenentur omnia relinquere) *omnium tamen sacrificiorum, quæ per mundum universum offeruntur, futurus sit particeps, si potius secundum rectum ordinem charitatis ad sublevandas necessitates pauperum, quam* (contra ordinem charitatis) *ad celebrandas pro se Missas, suas pecunias relinquat*.

Et sanè quid Infirmis, qui vel pauperes sunt vel aliâ necessitate impediti ut nullas vel paucas jubere possint pro se Missas specialiter celebrari; quid, inquam, illis, ubi de Missarum numero solliciti sunt, dici potest aut verius aut ad eos consolandum accommodatius, quam participes eos fore omnium sacrificiorum, quæ *per mundum universum pro fidelibus omnibus, tam vivis quam defunctis, nemine excluso, offeruntur?* Participes, inquam, *pro Dei beneplacito, juxta mensuram charitatis uniuscujusque?*

Nam quod *pro Dei beneplacito* quisque particeps fiat sacrificiorum quæ per mundum universum pro omnibus, nemine excluso offeruntur, ex eo patet, quod è duobus æqualiter malis alter aliquando convertatur, alter non convertatur; è duobus æqualiter justis alter præ altero in justitia proficiat vel perseveret &c. Quod non nisi in *Dei beneplacitum* refundi potest.

Quod tamen etiam hic attendatur *mensura charitatis uniuscujusque*, colligitur ex Concilio Trid. Sess. 22. cap. 2. ubi *docet sancta Synodus, sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque*

sumque fieri, ut SI CUM VERO CORDE, ET RECTA FIDE, CUM METU ET REVERENTIA, CONTRITI AC PŒNITENTES *ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Et S. Thomas 3. p. q. 79. art. 7. ad 2. *Illis*, inquit, *prodest plus vel minus secundùm modum devotionis eorum.*

Verùm, inquiet Accusator, in hoc præcipuè peccat Propositio, quod eos, qui specialiter pro se sacrificia celebrari non jubent, æquè dicat eorum participes fore, ac illos, qui ea pro se specialiter celebrari jubent: hoc autem admitti non posse.

R. Neque hoc dicit propositio, sed dicit:

1. Dum vel paupertas vel ordo charitatis vetat, quo minus possit moribundus jubere pro se specialiter Missas celebrari, ad solatium ipsi dici posse, participem eum fore Sacrificiorum omnium, quæ per mundum universum pro fidelibus omnibus, nemine excepto, offeruntur.

2. Si objiciat Moribundus, se non æquè illorum participem fore, ac si ea pro se specialiter celebrari jussisset, responderi posse, unumquemque eorum participem esse juxta mensuram charitatis & pro Dei beneplacito; proindè confidere ipsum posse, fore ut æquè illorum particeps sit, dum juxta ordinem charitatis non jubet ea pro se specialiter celebrari, ac si contra ordinem charitatis ea pro se specialiter celebrari juberet: Nam etsi sacrificia specialiter prosint iis, qui pro se illa specialiter juxta ordinem charitatis celebrari jubent; non idem tamen promittere sibi posse eos qui id faciunt contra ordinem charitatis. Prætereà etsi tunc participes non sint fructûs specialis, qui ex speciali sacrificiorum applicatione oritur; tamen quia non nisi juxta ordinem charitatis omittunt curare ut ea sibi specialiter applicentur, omnino confidendum esse, fore ut Deus ipsos tantò magis participes faciat fructûs generalis, cujus participes sunt omnes per Orbem fideles, pro quibus generaliter offeruntur; atque ita compensetur fructus ille, quem alioquin ex speciali pro se applicatione percepissent.

Quæro nunc, quid in tota hac Pastoris ad infirmum instructione sit, quod possit aut *periculosum* videri, ut secundam partem censurat Accusator, aut *malesonans & suspectum de errore*, ut *attento contextu & fine Authoris*, censurat tertiam? Imò verò quid attento contextu & fine Authoris, in tota Instructione est aliud, quam quod infirmum secundum rectum ordinem charitatis dirigat, & consoletur, cùm de Missis, quas juxta eundem ordi-

nem celebrari jubere non potest, anxius est & sollicitus? Veniamus ad imposturas.

Prætereo duas, quas Pastori bono affingit *Propositione* suâ XXVII. & XXVIII. sed tertiam prætcrite non possum, quam eidem affingit *Propositione* XXIX. quasi doceat, "Quod Deus u-„numquemque pro suo beneplacito juxta mensuram charitatis u-„niuscujusque reddat sacrificiorum participem, sive aliquis pro se „nulla, sive aliqua celebrari jusserit."

Quarta est, "Quod suadeat moribundis, ad fundandas pro se „Missas jam tum determinatis, ut potius bona dent pauperibus." Reflex. 1.

Quinta, "Quod tunc potiùs futuri sint participes sacrificiorum „totius mundi. Ibid.

Sexta, "Quod tunc præter participationem Missarum, insuper „habituri sint mercedem eleëmosynarum." Ibid.

Septima, "Quod sive quis Missas pro se legi curet, sive non, æ-„qualiter illi Missæ profuturæ sint." Ibid.

Octava, "Quod scopus sit, inducere homines, ne curent legi „Missas particulares." Refl. 2.

Nona, "Quod videamur velle impugnare speciales Missarum "applicationes." Ibid.

Decima (quam atrox scomma dixerim) "Quod cum quodam „(Juda scilicet Iscariote) dicere videamur, *ut quid perditio hæc?*" Ibid.

Undecima, "Quod determinatum ad fundandas Missas aver-„tamus & ad aliam pietatem, ceu meliorem, cum sacerdotum gra-„vi detrimento divertamus." Refl. 3.

Duodecima, "Quod id faciamus ex pravis principiis." Ibid.

Decima tertia, "Quod evertamus pias fundationes ceu minus „bonum." Ibid.

Decima quarta, "Quod tollamus vim & efficaciam particula-„rium applicationum." Ibid.

Ad harum imposturarum refutationem sufficit, genuinum propositionis accusatæ sensum paulò ante exposuisse. Superest ut & objectionibus faciam satis.

1. "Tutissimam ait esse doctrinam, suadere ut talis moribun-„dus dividat, partem pauperibus, partemque celebrandis Missis „destinans, ut percipiat fructum utrumque."

R. Nec hoc dissuadet Pastor Bonus: sed instruit tantùm mori-

bundum

bundum, ne contra Ordinem charitatis aliquid diſponat.

2. "In ipſo ſacro Canone Miſſæ non modo pro vivis, ſed etiam „pro defunctis adhibetur ſpeciale Memento... Et S. Monica *tantùm „memoriam ſui ad Altare Dei fieri deſiderabat.* Quod Augu-„ſtinus non ſolùm fecit, ſed cognoſcens falſum eſſe, quod om-„nes Miſſæ æqualiter proſint, ſive alicui ſpecialiter applicentur ſi-„ve non: *Inſpira*, inquit, *Domine Deus meus, inſpira ſervis „tuis, Fratribus meis... ut quotquot hæc legerint, memine-„rint ad Altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patricio quon-„dam ejus conjuge.... ut quod à me illa popoſcit extremum, ul-„terius ei præſtetur in multorum orationibus.* Univerſa enim „Eccleſia antiquiſſimâ conſuetudine recepit, ut vivi omnes pro „omnibus defunctis, ſed quilibet *diligentius* pro amicis oret.... „Ex quo ſequitur, ſacrificia & preces ſic offerri pro omnibus, om-„nibuſque prodeſſe; ut tamen ſpecialius proſint, pro quibus *dili-„gentius* exhibentur."

R. Tam multis opus non erat ad probandum, quod ſacrificia proſint ſpecialiter iis, pro quibus ſpecialiter offeruntur: ultro fatemur, hunc Monicæ, hunc Auguſtini, hunc Eccleſiæ univerſæ ſenſum eſſe. Sed de hoc non agitur in Paſtore Bono. Hæc duo aguntur. 1. An Paſtor moribundum, qui ingentem Miſſarum numerum magnis ſumptibus celebrari jubet, ubi id vetat rectus ordo charitatis, inſtruere non poſſit de ſumptibus illis juxta ordinem charitatis in alios uſus expendendis? 2. An moribundum quem vel charitas, vel alia neceſſitas vetat jubere pro ſe ſpecialiter Miſſas celebrari, inſtruere rurſus ac conſolari non poſſit dicendo, participem eum fore omnium ſacrificiorum, quæ per Eccleſiam univerſam pro fidelibus omnibus, nemine excepto, offeruntur: & quamquam particeps non ſit fructûs ſpecialis, quem percipiunt illi, pro quibus offeruntur ſpecialiter, confidere tamen poſſe, tantò eum copioſius participem fore fructûs generalis, qui communis eſt omnibus; atque ita compenſatum iri, quod ex fructu ſpeciali defuerit. Sanè, niſi ſic liceat inſtruere & conſolari moribundos pauperes? & eos quos charitas vetat pro ſe ſpecialiter Miſſas celebrari; neceſſe erit eos abſque ſolatio morti dimittere: cum inde quidem Miſſas celebrari jubere vetet paupertas vel charitas; inde verò confidere ipſis non liceat, quod eo caſu æquè ſacrificiorum participes futuri ſint, ac ſi ea pro ſe celebrari juſſiſſent.

3. Objicit, "quod Eccleſia ſemper approbaverit fundationes

„ Anniversariorum & Missarum, etiam quotidianarum: licet num „ quam defuerint pauperes, quibus istæ pecuniæ fuerint applicabi- „ les &c.

R. Tantùm abest ut fundationes Anniversariorum & Missarum improbet Pastor Bonus, ut econtra eo ipso loco, quo accusatur, doceat, quo modo illæ ad majus Ecclesiæ bonum faciendæ sint: *Ut si quis, inquit, fundare velit beneficium aliquod vel sacrum; fundet ea cum onere excipiendi confessiones in Parochia, catechizandi &c.* Adeo ut de alio accusari non possit Pastor Bonus, quàm quòd omnia juxta ordinem charitatis fieri desideret: in quo reum se esse non credit.

§. 19.

Confutantur imposturæ circa hanc propositionem quæ inter 61. fuit quadragesima: Si qui Sacerdotes jam celebrent, quia stipendium offertur, alioquin non celebraturi, Deus profectò plerumque per hujusmodi Missas non tam honoratur, quam stipendium, propter quod Missæ celebrantur. *Past. Bonus part. 4. cap. 8. §. 7.*

MAnifestum est hìc non agi de Missis, quatenus per illas honoratur Deus ex opere operato, & à Christo qui est principalis offerens; sed tantum de Missis, quatenus per illas honoratur Deus ex opere operantis, seu Sacerdotis qui celebrat; atque hoc solum sensu dici, quod *si qui Sacerdotes jam celebrent, quia stipendium offertur, alioquin non celebraturi, Deus profectò plerùmque per hujusmodi Missas* (ex opere scilicet operantis) *non tam honoretur, quam stipendium propter quod celebratur.* Enimverò si Sacerdotes ejusmodi celebrarent propter Deum; celebrarent etiam plerumque tunc, cum non offertur stipendium: atqui non celebrant nisi dum hoc offertur: Ergo plerumque non tam celebrant propter Deum, quam propter stipendium. Si autem non tam celebrent propter Deum, quam propter stipendium; profectò non tam Deum, quam stipendium honorant: Id enim honorant propter quod celebrant.

Sic genuino propositionis sensu exposito, ruunt imposturæ sequentes:

I. "Sensum Pastoris Boni clarum esse, quod scilicet dentur Mis"sæ aliquæ, per quas honoratur Deus, & dentur aliæ, per quas "Deus plerumque non honoratur. Refl. I.

 138

2. "Quod Missæ priores celebrentur æquè multæ, sive infirmus „curet celebrari, sive non. &c." Ibid.

3. "Scopum videri esse, homines inducere, ut non æstiment „Missas nisi illorum qui erant celebraturi, etsi stipendium nullum „recepissent." Resl. 2.

Prætereo Imposturas quas continet proposito ipsius XXX. & XXXI. quæ unà cum cæteris facilè difflantur, si modò observetur quod jam antè monui, propositionem non agere de Missis quatenus per illas honoratur Deus ex opere operato, sed tantum quatenus per illas honoratur ex opere operantis: sic enim facilè intelligitur, quod etsi verum sit, Deum per omnes Missas honorari ex opere operato; simul tamen etiam verum sit, ipsum per omnes Missas non honorari ex opere operantis, seu celebrantis, qui celebrando peccare potest: Item, quod etsi omnes Missæ æque æstimandæ sint quatenus valent ex opere operato, non tamen quatenus valent ex opere operantis. &c. Ad objectiones venio.

1." Non subsistit, inquit, id quod Autor supponit: nimirum "quod non plures Missæ celebrarentur, etsi offerretur stipendium."

R. Non hoc supponit Author; sed supponit, quod non plures celebrarentur plerumque ab iis, qui celebrando Deum honorant, & non stipendium: ab aliis vero plures celebratum iri, disertè dicit.

2. "Si beneficia non fundentur, pauciores Sacerdotes fient, ac „proindè Missæ pauciores.

R. Non existimo spiritum ac mentem Ecclesiæ esse ut fundentur beneficia, eò tantum, ut celebrentur plures Missæ; sed eam desiderare, ut alia Ecclesiæ utilitas conjuncta sit. Atque hinc docet Synodus Tridentina, quod *nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis Ecclesiis*. Sess. 23. de Reform. c. 16.

3. "Supponamus, inquit, aliquem jam celebrare, qui sine sti-"pendio non celebrasset: licet stipendium sit incentivum; equidem "potest talis Presbyter formare rectissimam intentionem."

R. Non dicit Pastor Bonus, numquam fieri ut Presbyter, qui oblato stipendio celebrat, alioquin non celebraturus, rectam intentionem habeat: sed dicit id plerumque non fieri in iis, qui nisi oblato stipendio non celebrant. Hoc autem nec ipse Accusator negaverit.

4. " Sanè multi non recitarent officium, nisi haberent Benefi-

"cium; non desinunt tamen Deum per officium honorare."

R. Paritas esset, si diceret; *Multi non recitarent officium, nisi haberent fructus beneficii*: Sed tunc pari etiam de illis ratione judicandum, nimirum non tam eos plerumque Officium legere propter Deum, quam propter fructus.

5. "Propositio manifestè sapit Donatismum, quia dicit Deum "per Missas talis Sacerdotis non honorari."

R. Non id dicit propositio: sed dicit tantum, Deum per Missas talis Sacerdotis non honorari ex opere operantis, hoc est, Sacerdotis non celebrantis propter Deum, sed propter stipendium.

6. "Tortuoso sophisinate vexatur Moribundus, ut censeat sibi "non profuturum, si Missas celebrari curet."

R. Teterrima omnium impostura est. Nihil enim aliud Moribundum monet Pastor Bonus, quam ut si Missas celebrari jubeat, secundum rectum ordinem charitatis id faciat.

§. 20.

Retunduntur imposturæ Accusationis circa hanc propositionem, quæ inter 61. accusatas fuit quadragesima tertia: Expenduntur variæ rationes, ex quibus nasci videtur quædam necessitas conjungendi vel non conjungendi sponsos dubiè dispositos.... Quod si res amplius integra non sit, ut si sponsa sit gravida: tum sæpè maximè proderit, statui tale exemplum, ut discant Virgines sibi cavere, dum vident sponsas gravidas vel deseri ab illis à quibus deceptæ sunt, vel non nisi per multas difficultates cum illis conjungi. Sed inde oritur magnum scandalum. R. Imo verò insigne exemplum. *Past. Bon. part. 4. cap. 10. §. 6. n. 3.*

INfideliter excerpta est & exhibetur Propositio. Sic enim exhibetur, ac si Pastor Bonus improbaret omninò rationes, quæ adferuntur pro sponsis dubiè dispositis conjungendis, nullamque earum vellet rationem haberi: Ubi tamen manifestum est, Pastorem Bonum velle expendi utrasque, & inter sese comparari; ut illis expensis statuat Parochus, debeatne an non debeat dubiè dispositos conjungere. Sic pro sponsis conjungendis adfert hanc rationem quintam, *Quod periculo exponantur sponsi, nè à proposito conjugio retrocedant.* Non improbat hanc rationem Pastor Bonus; sed sic eam expendi vult, ut simul expendatur, *Quod non rarò dubium*

sit,

 139

sit, meliusne sit illos conjungi, an à conjugio retrocedere.

Iterum pro conjungendis affert hanc, *Quod aliquando res amplius integra non sit, ut si sponsa sit gravida.* Non rejicit iterum hanc rationem, quasi quæ attendi non debeat; sed simul expendendum monet, *Tum sæpè maximè prodesse statui exemplum.*

Rursus pro conjungendis urget, *Quod indè oriatur magnum scandalum.* Non negat hoc Pastor Bonus; sed simul expendi vult, oriri etiam indè *insigne exemplum.* &c. Porrò quin rationes illæ utrimque à Parochis expendendæ sint, nemo potest in dubium revocare. Cùm autem Pastor Bonus nîl aliud affirmet; nescio quâ temeritate propositionem ipsius tamquam *temerariam, scandalosam, & perniciosam in praxi* accuset *censuretque* Accusator Anonymus. Ex sensu propositionis jam exhibito corruunt Imposturæ sequentes.

1. Quod sensus sit, sponsos, qui simul peccaverunt, dubiè dispositos... non debere conjungi, etiamsi sponsa sit gravida." Refl. 1.

2. " Isto casu malle nos exemplum statuere, etiamsi sponsa à sponso desereretur." Ibid.

3. "In dubium nos ponere, an id non expediat proli nascituræ." Ib.

4." Scopum nostrum videri esse, admittere quasvis in quocumque statu hominum perturbationes, ut manuteneamus nostra principia." Refl. 2.

5. " Supponi à nobis, quod tales sponsi doleant, proponant, credant, sperent, diligant, & aliquo tempore in vim propositi à peccatis abstinuerint, & aliquo modo pœnitentiæ opera præstiterint." Refl. 3.

6. " Malle nos sponsum & sponsam suis concupiscentiis dimittere, quam ad sedandas eas, conjungere." Ibid.

7. "Opstratio nihil placere præ longi temporis pœnitentiâ."Ib.

Detectis imposturis, superest ut refellantur objectiones.

1. " Hac conjunctione, inquit Accusator, tolleretur peccandi occasio proxima."

R. Non tollitur peccandi occasio interna, seu affectus quo Sponsi ejusmodi, etiam post Matrimonium, sic manent dispositi, ut etiamsi juncti non essent, simul tamen, ut prius, peccarent. Affectus autem ille, nisi magna incommoda obstent, tolli debet ante Sacramentum Matrimonii, nè illud sacrilègè suscipiatur.

2. " Repararetur scandalum."

R. Non est iste modus reparandi scandalum: cum hactenus in

Q Ec-

Ecclesia Dei alius usitatus non fuerit, quam per pœnitentiam publicam.

3. " Servaretur honor familiarum."

R. Is jam læsus fuit à sponsis per crimen fornicationis publicum: non verò læditur à Parochis per hoc, quod paulisper differant Matrimonium, ut sponsi ejusmodi dignè se ad Matrimonium disponant & scandalum reparent.

4. " Sua daretur proli legitimatio."

R. Non negat Pastor Bonus, quin summa illius ratio habenda sit: sed simul expendenda monet incommoda, quæ ex facili conjunctione oritura sunt.

5. "Sua daretur proli educatio."

R. Verùm christianæ prolis educationi non semper optimè consulitur per facilem conjunctionem: sed potiùs per dignam ad Samentum. Matrimonii, pro qua laborare debet Pastor Bonus, præparationem.

6. "Non vidit Autor Pastoris Boni, quod sponsos libidinosos „ad stuprum faciat audaciores; quos leges terrent, dum ad Ma„trimonium obligant........ Et quilibet Pastor Bonus in casu om„ne studium adhibet ut conjungat, solo Opstratio repugnante."

R. Impostura est cæteris annumeranda. Non repugnat Opstratius, quo minus tales sponsi conjungantur; sed econtra ut christianè conjungantur, laborat. Neque in hoc legibus contrarius est. Nam ut leges sponsos ad Matrimonium obligant; ita & illos jubent ritè à Parochis ad Matrimonium disponi. Quod si contingat, ut dum se disponere non volunt, diutiùs Matrimonium differatur, vel etiam fortè sponsus sponsum deserat, id saltem boni inde consecuturum dicit, ut insigne exemplum habeant Virgines, quo discant suæ pudicitiæ cavere. Neque ipse hìc Accusator dissentit: "Non nega„mus tamen, inquit, quin allaborandum sit, ut utriusque pecca„tum debitè castigetur." Quam in rem citat Canonem 25. & 26. Epist. 1. Canonicæ S. Basilii, & Antiquum Pœnitentiale Romanum ab Halitgario Cameracensi Episcopo exscriptum tit. de fornic. n. 2. Quibus ego hìc adjicio: *Qui sponsalia contraxerint, si unà ante coïerint, quàm coram Parocho & testibus matrimonium inter eos celebratum sit, illius peccati, quoniam in eo sæpè delinquitur, absolutionem Episcopo reservatam esse volumus, gravemque illis pœnitentiam imponi.* S. Carolus Borrom. in Synodo Prov. 2. tit. 2. *Qui Matrimonium inituri sunt, diligenter moneantur, nè*

an-

antequam ritè illud in Ecclesia celebrent, atque à Sacerdote benedictionem accipiant, carnali copula commisceantur, alioquin graviter ut stupri rei puniantur propter mortalem culpam quâ uterque ipsorum obstringitur: cujus quidem absolutionem Reverendissimo ipsi Episcopo dumtaxat reservatam esse volumus, à qua item non absolvi quempiam concedet, nisi gravi aliquâ atque etiam (si publicum est crimen) publicâ pœnitentiâ injunctâ, ut vitiosus hic usus, quo Sacramentum illud violatur, proptereaque nullo modo ferendus, è populo Dei tollatur. Franc. Bonhomius Sedis Apostolicæ Legatus in Visitatione Diœcesis Comensis anno 1579. tit. de Sacram. Matrim.

Si crimen fornicationis à sponsis commissum, Episcopo reservatum esset; si ab eo, dum publicum erat, absolvi non possent, nisi gravi aliquâ & publicâ pœnitentiâ injunctâ: nonne aliquando timendum erat, ne sponsus potius, quam hæc præstaret, sponsam desereret, aliave incommoda nascerentur? Et tamen hæc viros illos sapientissimos nihil terruerunt, quo minus ista decernerent. Satius nimirum existimabant permittere ut incommoda ista aliquando nascerentur, quam *vitiosum istum usum, quo Sacramentum illud violatur, proptereaque nullo modo ferendum*, ut Bonhomius loquitur, *è populo Dei non tollere.* Quâ igitur ratione accusari potuit Pastor Bonus, qui non ista aut similia Pastoribus præscribit; sed tantum utrimque, quæ expendenda sunt, proponit?

§. 21.

Refutantur Imposturæ Accusationis *circa hanc propositionem quæ inter* 61. *fuit quadragesima tertia:* Quis scit, an non aliquando eo usque deserenda sit Ecclesia, ut in spatio non majori, quam sit Gallia & Belgium, à paucis tantum servetur quoad omnia Ecclesiæ praxis seu disciplina in administrando Sacramento Pœnitentiæ. *Dissert. de Praxi administ. Sacram. Pœnit. pag.* 23. *lin.* 30.

PRopositionem mutilavit Accusator, dum omisit hæc quæ ibidem subjungit Opstratius: *Non quod ego tam angustum* (spatium) *esse posse affirmem; sed quod sine Scriptura & Traditione judicium suspendam.* His enim additis manifestum fuisset, nîl circa propositionem istam affirmare vel negare Opstratium, sed tantum judicium suspendere. Et sanè cum nusquam id vel in Scrip-

tura Sacra vel in Traditione determinatum sit; quin etiam ex Historia Ecclesiastica constet, vehementer aliquando Ecclesiam desertam fuisse; ex Scriptura verò Sacra, eò usque aliquando deserendam, *ut filius hominis veniens vix inveniat fidem in terra:* quid prudentius in ejusmodi quæstione facere poterat, quam ut judicium suspenderet? Atque hinc etiam patet sensus alterius propositionis, quam Accusator adjungit: *Meritò dubitari posse, an Ecclesia non minus, imò non magis aliquando deserta fuerit, vel sit deserenda, quam si in spatio &c.* Nam ubi *dubitatur*, ibi *judicium suspenditur.*

Itaque impostura est, "quod sensus illarum propositionum *assertorius sit,*" ut asserit Accusator Reflex. 1. Neque enim quidquam asseritur, ubi *judicium suspenditur*, & *dubitatur.*

Altera impostura est, "Quod scopus noster esse videatur, armare „partem nostram contra faciendas, & jam indè sæpè factas obje„ctiones; quod nimirum colligatio, quâ inter nos contesserati su„mus, teneat praxim à longè maxima Ecclesiæ parte dissonam." Refl. 2.

Tertia est, "Quod respondeamus, Ecclesiam potuisse eò usque „defecisse, ut legitima praxis absolvendi apud nos solos, in pau„cis Galliæ & Belgii angulis resideat." Ibid.

Quarta, "Quod tum argumentis, tum propriæ conscientiæ te„stimonio victi fuerimus, nos in paucis orbis angulis praxim fo„vere à totius Ecclesiæ usu diversam." Refl. 3.

Quinta, "Quod, quo paucitatem nostram adversus multitudi„nem erigamus, jam asseramus: Meritò dubitari posse, an Eccle„sia in hoc non fuerit eo usque à Deo deserta." Ibid.

Harum imposturarum falsitas manifesta erit legenti *Dissertationem* Opstratii *de Praxi* &c. Nam imprimis disertè illic *negat, esse quamdam praxim administrandi Sacramentum pœnitentiæ, quæ tantum servetur à paucis quibusdam in Gallia & Belgio.* Parte 1. cap. 2. pag. 22. in fine. Deinde cum Adversarius vellet factum illud supponere atque inde concludere, *quod praxis illa non posset esse praxis Ecclesiæ:* Respondet temerarium ac periculosum esse id definire. Temerarium quidem: quia id nusquam vel in Scriptura sacra vel in Traditione definitum est. Periculosum verò: quia sic in discrimen adducitur Ecclesia; ejusque indefectibilitas, quæ fide certa est, à facto incerto suspenditur. Si enim fieri possit aliquando, ut praxis illa servaretur tantùm à paucis quibusdam in

Gallia

 141

Gallia & Belgio (quod an fieri posset certum sibi non esse dicebat Opstratius) jam admitti deberet, quod certum est fieri non posse, ut Ecclesia de Orbe terrarum periret. Accedit, quod sic Catholicis eripiatur responsum, quo Ecclesiam hactenus adversùs sophismata Hæreticorum defenderunt. Hi enim cum jam pridem ex abusibus, qui per Ecclesiam universam grassabantur, concluderent Ecclesiam defecisse; respondebant Catholici, abusus illos quantumvis graves & communes imputari non posse Ecclesiæ, adeoque nec posse propter illos Ecclesiam deficere: At non valebit amplius ista responsio, si abusus in administrando Sacramento Pœnitentiæ tunc tandem Ecclesiæ imputandus erit, cum praxis legitima illud administrandi quoad omnia servabitur tantùm à paucis quibusdam in Gallia & Belgio. Sed hæc fusius in *Dissertatione de Praxi*. Ad objectiones festino.

1. "Adversarii, inquit Accusator, Protestantibus arma ministrant: si enim admittatur, *meritò dubitari posse an Ecclesia non minus, imò non magis aliquando deserta fuerit, quàm si in Gallia & Belgio à paucis tantùm observaretur legitima praxis administrandi Sacramentum pœnitentiæ quoad disciplinam*; nemo non videt quam facilè sit futurum Protestantibus ad alia gradum facere."

R. Adeò non metuendum est, nè id admittendo arma ministrentur Protestantibus; ut econtra, nisi admittatur, Protestantium arma propulsari non possint, ut jam ostensum est. Quod si Hæretici inde gradum facere velint ad Ecclesiæ defectibilitatem, aut illius ad modicum terræ angulum coarctationem: mox in promptu erit Scriptura, quæ Ecclesiæ per totum Orbem diffusionem & usque ad consummationem sæculi indefectibilitatem clarissimè expressit. Confutabit etiam illos ratio, quæ evidenter demonstrabit non sequi: "Praxis legitima administrandi Sacramentum Pœnitentiæ ad paucos Ministros & ad spatium non majus quàm sit Gallia & Belgium redigi fortè potest; igitur eò etiam redigi potest Ecclesia." Cujus sophismatis fallaciam latius detexi in *Dissertatione de Praxi* parte 1. cap. 2. §. 2. 4. & 5. simulque ostendi, ibi etiam esse Ecclesiam, ubi nullus est qui legitimam in administrando Pœnitentiæ Sacramento praxim observat: siquidem ibi esse Ecclesiam, ubi sunt qui fidem & doctrinam Ecclesiæ profitentur: posse autem eam profiteri etiam illos, qui minimè eam observant. Quemadmodum pessimi quique Catholici profitentur fidem & do-

ctrinam Ecclesiæ circa mores, & sunt in Ecclesia; etsi mores illorum à fide illa & doctrina quàm longissimè diffideant.

2. "Comparat nos cum Donatistis schismaticis, quorum, in„quit, dogma fuit principale, legitimam praxim baptizandi apud „se solos existere, reliquam verò Orbis Christiani partem in hoc „à Deo desertam fuisse: nescire se quid intersit inter legitimam „praxim absolvendi & legitimam praxim baptizandi."

R. Injuriæ & falsitatis plena est comparatio. 1. Donatistæ dicebant, legitimam baptizandi praxim apud se solos existere, reliquam verò Orbis Christiani partem in hoc à Deo desertam fuisse: Nos de legitima praxi absolvendi non tantùm id non dicimus, sed etiam disertè negamus. 2. Donatistæ ex eo quod crederent, legitimam baptizandi praxim apud se solos in Africa existere, concludebant, Ecclesiam ad solam Africam coarctatam esse, & de reliqua Orbis parte periisse: Nos etsi falsò supponeretur quod praxis legitima absolvendi in sola Gallia & Belgio servaretur, negamus tamen propterea concludi posse, Ecclesiam ad solam Galliam & Belgium coarctari. 3. Donatistæ ab iis, qui aliam baptizandi praxim servabant, impio se schismate dividebant: Nos cum iis, qui aliam absolvendi praxim habent, in una Ecclesia charitatis & quantum in nobis est, pacis vinculum servamus. Absit ergo ut dogmatis aut schismatis Donatiani insimulemur. Judicet autem Sedes Apostolica, an ab errore Donatiano satis recedant qui dicunt, aliis locis non esse Ecclesiam, quàm ubi praxis legitima in administrando Pœnitentiæ Sacramento servatur: Hoc enim tacitè dicunt Adversarii, dum apertè hic accusare audent assertionem hanc: *Ut vetus Donatistarum error est, dicere solos bonos esse in Ecclesia; ita novus est, sed non procul à Donatiano recedens, affirmare in aliis locis non esse Ecclesiam, quàm ubi praxis legitima in administrando Pœnitentiæ Sacramento servatur.* Dissert. de Praxi pag. 28. lin. 21.

3. "Quod, inquit, contra Donatistas, hoc contra hunc Autho„rem militat: *Consuetudinis robore tenebatur Orbis terrarum,* „*& hæc sola objiciebatur inducere volentibus novitatem.*" Aug. lib. 2. cont. Donat. c. 9.

R. Quàm consuetudo, de qua Augustinus, diversa est à consuetudine, de qua Accusator; tam argumentum Accusatoris diversum est ab argumento Augustini. 1. Argumentabatur Augustinus à consuetudine, cujus robore tenebatur orbis terrarum: Argumentatur Accusator à consuetudine (quosvis passim absolvendi) quam

ve-

veluti corruptelam præstantissimi in Orbe terrarum Theologi rejiciunt. 2. Argumentabatur Augustinus à consuetudine, quam ideò credebat ex Apostolorum Traditione venire, quia & per universam custodiebatur Ecclesiam, & illius initium non inveniebatur: *Sicut*, inquit, *multa non inveniuntur in litteris eorum, nec in Conciliis posteriorum; & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Lib. 2. de Bap. cap. 7. Argumentatur Accusator à consuetudine quæ nec per universam custoditur Ecclesiam, & cujus initium invenitur. 3. Objiciebat Augustinus consuetudinem illam Apostolicam & universalem Donatistis, inducere volentibus novitatem: Objicit Accusator consuetudinem suam novam & particularem Catholicis, conantibus tueri vetustatem.

Quare non magis concludere potest consuetudinem suam esse consuetudinem Ecclesiæ; quàm olim, dum per Ecclesiam ubique grassabatur simonia, concludi poterat praxim Ecclesiæ esse simoniam.

"At, inquit, simonia etiam tunc per Ecclesiæ leges castiga„batur: at verò praxis administrandi Sacramentum pœnitentiæ, „de qua agimus, fundatur in Ritualibus, & Canonibus, & Tra„ditione Patrum supra probatâ."

R. Nescio quid jactet de Traditione Patrum, qui unum præcipuè Nilum produxit: si quos verò produxit præter Nilum ad eos supra responsum est. Nunc cum dicat, praxim etiam suam fundari in *Ritualibus & Canonibus*; palam ipsum provoco ut vel unum Rituale vel Canonem unum proferat, quo decernatur, debere aut posse v. g. lapsum in fornicationem passim absolvi, modo dicat se dolere & emendationem proponere: si autem proferre nullum possit, quo pacto dicit praxim suam in Ritualibus & Canonibus fundari?

Ad aliud responsum fugit, aitque non esse formandum argumentum à Simonia ad Sacramenta.

R. Etsi etiam rectè hic à simonia formetur argumentum ad Sacramenta; obsequar tamen *Accusatori querulo*, & à Sacramento ad Sacramentum argumentum formabo. Testantur novem delecti à Paulo III. Cardinales & Theologi, primum abusum eo tempore in Ecclesia fuisse Ordinationem Clericorum & præsertim presbyterorum, *In qua*, aiunt, *nulla adhibetur cura, nulla adhibetur diligentia: quod passim quicumque sint, imperitissimi sint, vilissimo genere orti sint, malis moribus ornati sint, adolescentes admittantur ad*

Ordines ſacros, & maximè presbyteratum... Hinc innumera ſcandala, hinc contemptus ordinis Eccleſiaſtici, hinc divini cultus veneratio non tantum diminuta, ſed etiam propè extincta. En hic argumentum à Sacramento ad Sacramentum: Si ſic invaleſcere per Eccleſiam potuerit praxis illegitima in adminiſtrando Sacramento Ordinis, ut indè divini cultus veneratio non tantum diminuta, ſed etiam propè extincta foret; poteſt ſanè etiam ſic invaleſcere praxis illegitima in adminiſtrando Sacramento Pœnitentiæ.

4. " Deficientibus Sacramentis, Eccleſia deficit: atque ita Au-„ tor dum legitimam rationem Sacramenti Pœnitentiæ nititur re-„ ſtringere ad terminos paucitatis ſuæ, cladem intentat toti Eccle-„ ſiæ, & præſertim Romanæ."

R. Jam ſæpiùs dixi imposturam eſſe, quod legitimam rationem Sacramenti Pœnitentiæ nitamur reſtringere ad terminos paucitatis noſtræ: Hoc unum dicimus, incertum nobis eſſe ad quos terminos & ad quam paucitatem redigi poſſint qui legitimam in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento praxim *quoad omnia* obſervant. Conſequentias verò, quas indè format Accuſator, planè negamus.

Infert primum, Sacramenta deficere iis locis, quibus non legitimè quoad omnia adminiſtrantur. Sed illatio inepta eſt. Nam etſi non adminiſtrentur quoad omnia legitimè, quia v. g. illicitè adminiſtrantur iis quibus adminiſtrari non deberent; adminiſtrantur tamen, adeoque nullo pacto dici poteſt tunc Sacramenta deficere. Præterea etſi non legitimè adminiſtrentur circa aliquos, puta conſuetudinarios qui ritè diſpoſiti non ſunt; ſemper tamen adminiſtrantur legitimè circa alios ritè diſpoſitos: quod indubiè ſufficit ut illic Sacramenta non deficiant. Infert deindè, tunc etiam iis locis deficere Eccleſiam. Sed multò ineptiùs. Nam, ut jam ante monui, ibi eſt Eccleſia, ubi ſunt qui fidem & doctrinam Eccleſiæ profitentur: hanc autem profiteri poſſunt etiam illi, qui nec ſecundum fidem & doctrinam Eccleſiæ vivunt, nec ſecundum illam Sacramenta adminiſtrant.

5. Parallelum inſtituit accuſator nos inter & Donatiſtas: ſed demptis imposturis, non ſemel antea repetitis, nihil in eo eſt quod jam refutatum non ſit, & ex iis ipſis, quæ citat ex Auguſtino, refutari iterum non poſſit. Tota enim vis in eo eſt, quod ſicut S. Auguſtinus Donatiſtis opponebat ſolam Eccleſiæ conſuetudinem; ita & nobis eandem oppoſuiſſe ſufficiat. Citat autem ex Auguſtino

hæc

hæc verba: *Quam consuetudinem credo ex Apostolica Traditione venientem; sicut multa non inveniuntur in litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Lib. 2. de Bap. c. 7.

R. Sed ex his ipsis verbis supra ostendi, immensum discrimen esse inter consuetudinem, quam S. Augustinus opponebat Donatistis, & consuetudinem quam ipsi opponunt nobis. Consuetudo, de qua Augustinus, per universam custodiebatur Ecclesiam; non sic consuetudo quosvis passim absolvendi, de qua Accusator. Consuetudinis, de qua Augustinus, nullum inveniebatur initium: Consuetudinis, de qua Accusator, initium sat recens est. Consuetudo, de qua Augustinus, veniebat ex Traditione Apostolica: suam pro tali venditare non audebit Accusator &c.

6. Communionem laicam sub una specie stabilivit consuetudo, & Ecclesiæ Principes ad eam contra Hæreticos manutenendam impulit regula: *Usum Ecclesiæ non posse esse erroneum.* Verba sunt Bellarmini: *Primò movit Ecclesiam consuetudo jam recepta & approbata consensu gentium & populorum.* De Sacram. Euchar. lib. 4. c. 28.

R. Et nos dicimus, *Usum Ecclesiæ non posse esse erroneum*, uti nec *consuetudinem jam receptam & approbatam consensu gentium & populorum*; adeóque sufficere ad praxim aliquam stabiliendam: sed talem esse usum & consuetudinem absolvendi, quam obtrudit Accusator, id verò pernegamus. Ut satis in *Doctrina de Laborioso Baptismo* ostensum est.

7. "Similiter abrogatio præcepti Apostolici abstinendi à san„guine & suffocato, solâ consuetudine nititur."

R. Fateor: sed consuetudine, ab Ecclesia ipsa receptâ & probatâ. Et tali consuetudine admittimus etiam abrogari potuisse, & nunc abrogatam esse antiquam praxim administrandi Sacramentum Pœnitentiæ juxta Canones. Verùm pessimè à consuetudine ista ad consuetudinem suam argumentatur Accusator.

8. Dicit quosdam objicere hanc sententiam Tertulliani: *Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominavit.* Lib. de vel. Virg. c. 1. nec observare, eam Tertulliani non stantis, sed labentis esse.

R. Cujuscumque sit ea sententia, certè vera est: Et si eâ abusus sit Tertullianus jam lapsus adversus consuetudinem Ecclesiæ;

non propterea probat eadem abuti alios adversùs consuetudinem ipsius privatam.

9. Plura allegat ex Tertulliano de præscriptionibus, S. Augustino, S. Thoma &c.

R. Sed nîl probant aliud, quam Traditiones Apostolicas & consuetudines Ecclesiæ sine scripto recipi debere; de quo nulla inter nos quæstio est. Hoc probare deberet, consuetudinem suam esse consuetudinem Ecclesiæ, aut de Apostolica Traditione venire: alioquin ex locis illis probat nihil.

Exagerationes quasdam verborum, scommata & dicteria, quæ hac Reflexione tertiâ accumulat Accusator, prætereo. Pauca attexam ex quodam Societatis Jesu Theologo, qui statum Ecclesiæ, ut erat tempore Sancti Ignatii de Loyola, sic describit, satis ad rem nostram accommodatè: " Libet, inquit, imo pùdet „meminisse illius temporis, quo per Orbem universum jam alte-„ram Babylonem, Stygius Imperator castra sua disposuit...... Cul-„tus divinus, reverentia Sacerdotum, Religio, Sacrorum usus, „quam exiguo tum temporis in pretio? Quam rara & infrequens „Sacramentorum usurpatio? Quàm neglecta in sanctissimo Eucha-„ristiæ cultu veneratio?... Argumento sit quod religiosissimus ac „litteratissimus scriptor ad declarandam miserrimi illius status fa-„ciem commemorat. In Ecclesia Urbis Romæ nobilissima, cum „pro more, certis anni diebus exponeretur divina Hostia, arcen-„dis sacri Ciborii furibus, alligabatur Molossus ad Altare, cate-„næ protensioris interpositu: addit, vix uno aut altero lumine ad „tantæ Majestatis præsentiam testandam apposito, dilapsis planè „omnibus, quorum erat adstare venerabundis, & ad res suas in-„tentis. Hoc in Urbe Roma, in Ecclesia Metropoli, unde Re-„ligionis decus, & fidei vigor expectandus erat, in æde sacra nobi-„lissima gestum, testes jurati confirmarunt. Inibi Romæ (quid alì-„bi fieret) participatio cælestis mensæ ad eam devenerat infrequen-„tiam, ut Christophoro Madridio, & aliis tunc viventibus, cer-„tandum fuerit libris editis adversus nimium quantum supinam „crassamque ignorantiam, contendentium peccare & violare sacra „instituta, qui plusquam in anno semel, divina illa esca vesceretur.... „Vix attinet commemorare, quàm pretiosus eo tempore fuerit „sermo Domini: quam, inquam, esset panis ille animarum arctus „& parvulis poscentibus, quàm pauci essent qui frangerent eis. Ad „hæc divinorum Mysteriorum, sacrarum litterarum supina igno-

rantia

„rantia: *Non est scientia Dei in terra.* Oseæ 4. v. 1. Ad sobrium „doctorem appellare non licebat.... Morum integritas, honestas, „justitia, fides divina & humana inter ipsos Catholicos sub pedi- „bus jacebat" Hæc HENRICUS ENGELGRAVE in *Cælo Empyreo* part. 2. in Octava S. Ignatii §. 1. Ubi etiam dicit, ad Ignatium transferri posse, quod Menæa Græcorum de Chrysostomo: NISI FUISSET HIC SANCTUS, *Christum terras secundo, ante ultimum, adventu revisere oportuisset.* Quod vero narrat de Molosso ad Altare alligato, in ipsa Urbe Roma, in Ecclesia Metropoli, ad fures à Ciborio exposito arcendos, id hoc ipso anno 1698. die S. Ignatii quidam è Societate Jesu Missionarius in Civitate Amstelodamensi palam ad plebem concionatus est, ut ex certissimis, quæ apud me sunt, testimoniis mihi constat.

Liceat nunc ex his ad rem nostram argumentari: Si sic eo tempore deserta fuerit Ecclesia: peccavitne, cum dixit Author *Dissertationis de praxi*, nescire se an sic aliquando Ecclesia possit deseri, ut praxis legitima administrandi Sacramentum Pœnitentiæ servetur tantùm quoad omnia à paucis in Gallia & Belgio? Et meritò dubitari posse, an Ecclesia non minus imo non magis aliquando deserta fuerit vel sit deserenda? Quæ enim & quantula est hæc desertio, si comparetur cum ista? Nam etsi supponeretur, quod legitima praxis servaretur tantùm à paucis in Gallia & Belgio, v. g. quod Consuetudinarii ubique passim, nisi in Gallia & Belgio, absolverentur: non tamen propterea ubique legitima praxis deficeret quoad alios pœnitentes ritè dispositos; multo minùs deficeret Sacramenti Pœnitentiæ administratio; & minimè ipsum Sacramentum. Quæ consequentiâ pessimâ *Querulus* è propositione accusata deducit.

At si expendamus desertionem Ecclesiæ, quam describit ENGELGRAVIUS, quantò hæc major apparebit! "Cultus divinus, reve- „rentia Sacerdotum, Religio, sacrorum usus, Sacramentorum u- „surpatio, Eucharistiæ veneratio (in ipsa Urbe Roma, in Ecclesia „Metropoli, undè Religionis decus, & fidei vigor expectandus „erat) morum integritas, honestas, justitia, fides divina & hu- „mana inter ipsos Catholicos sub pedibus jacebat: adeò ut non „esset scientia Dei in terra, nec ad sobrium Doctorem appellare „liceret, & nisi Ignatius fuisset, Christum terras secundo, ante „ultimum, adventu revisere oportuisset." Et post hæc non licebit, non dico affirmare, sed ne dicere quidem, nescire nos, An Eccle-

sia possit aliquando eo usque deseri, ut praxis legitima pœnitentiæ, v. g. circa consuetudinarios, servetur tantùm à paucis in Gallia & Belgio? Non licebit, inquam, hoc dicere, non Sancti alicujus extollendi gratiâ, sed ipsius Ecclesiæ defendendæ? Neque enim argumento Hæreticorum ab abusibus desumpto respondere amplius possumus; si admittendum sit tunc Ecclesiam defecisse, cum in eam irrepserit abusus non minor, quam si legitima praxis pœnitentiæ tantum servaretur quoad omnia à paucis in Gallia & Belgio. Hinc non dubitanter Contensonius de Pœnit. cap. 2. Specul. 3. in Responsione ad object. 1. *Disciplinæ*, inquit, *praxim in plerisque Ecclesiæ membris posse corrumpi, & sæpè reapse corrumpi, prænuntiavit Christus Matt. 24. & Luc. 18. ubi fore ait, ut refrigescat charitas multorum, Filiusque hominis secundò veniens vix inveniat fidem in terra.* Neque timet nè hinc sequatur ipsa defectio Ecclesiæ: quia vel in mediâ praxeos & disciplinæ corruptione, ipsa Ecclesiæ fides & generalis de disciplina sensus omni loco & tempore incorruptus perseverat.

§. 22.

Refutatur Accusatio *circa hanc propositionem, quæ inter* 61. *fuit quadragesima quarta*: Itaque antè omnia amplector lubens, quod hic dicit, excessus in moribus semper futuros pro multò maxima Ecclesiæ parte: sed contendo idem dici debere de abusu in praxi seu disciplina administrandi Sacramentum Pœnitentiæ. *Dissert. de Praxi pag.* 17.

PRior propositionis pars erat Doctoris Steyaett, ex qua Auctor *Dissertationis de praxi* posteriorem sequi contendebat, hac ratione, quod excessus in administrando Sacramento Pœnitentiæ non aliud sint, quàm excessus in moribus. Sicut enim in moribus excedunt laici, dum regulas sibi in statu & Officio suo præscriptas non servant; ita in moribus excedunt Confessarii, dum non servant regulas sibi præscriptas in administrando Sacramento Pœnitentiæ, v. g. dum absolvunt passim Consuetudinarios, quos regulæ ab Ecclesia ipsis præscriptæ absolvi non sinunt.

Asserebat præterea Doctor Steyaert, *numquam tam præclarè agi cum rebus humanis, ut quæ optima sunt, pluribus placeant in moribus*: sed rursus hinc contra ipsum inferebat Author *Dissertationis*," numquam tam præclare agi in Ecclesia, ut quæ op-

„ tima

 145

„tima est in administrando Pœnitentiæ Sacramento praxis seu dis-„ciplina, pluribus placeat Ecclesiæ Ministris." Sicut enim quæ optima sunt in moribus, ideò non placent pluribus, quia difficilia sunt & cupiditati adversa; ita ob eandem causam non placet pluribus Ecclesiæ Ministris quæ optima est praxis administrandi Sacramentum Pœnitentiæ.

Atque hæc ipsi Evangelio, & Sanctis Patribus, aliisque Scriptoribus Ecclesiasticis, conformia sunt. Etenim si juxta Evangelium pauci sunt qui salvantur; si juxta SS. Patres pauciores salventur è Sacerdotibus, Confessariis, Pastoribus &c. eò quod ipsorum officium præ officio laicorum difficilius sit & periculosius; si adhæc inter officia Sacerdotum nullum sit tam difficile & periculosum, ac ars ista artium, Regimen animarum; denique si Sancti moneant, eligendum esse Directorem unum è mille, vel, ut quidam, unum è decem millibus: profectò nec *temeraria, nec piarum aurium offensiva, nec divinæ providentiæ injuriosa* videri cuiquam poterit propositio, quam Accusator ut talem censurat. Nisi fortè etiam sic censurandæ sint hæ: *Stultorum infinitus est numerus. Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* Item hæc Episcopi Atrebatensis: PAUCI *sunt* (Directores) *verè fideles suo ministerio, cum difficillimum sit, sed ut melius dicam, omninò impossibile, verba Concilii* (Tridentini) *quæ jam retulimus* (non sine magnis nostris fletibus & laboribus) *conciliare cum directione ignava & molli, quæ observatur in* INFINITA MULTITUDINE *Confessariorum.* Instruct. cap. 2.

Censuris imposturas adjicit.

1. "Sensum nostrum esse, quod legitima praxis semper sit apud „paucos." Reflex. 1.

2. "Scopum videri esse, paucitatem nostram adversus univer-„salitatem in perpetuum erigere." Reflex. 2.

3. "Opstratium non solum Ministros impetere, sed & ipsas le-„ges atque instructiones, juxta quas ministrant." Reflex. 3.

4. "Propudiare eum authoritatem omnium Ritualium, etiam „Romani." Ibid.

5. "Eundem in toto illo scripto, cui titulum fecit *de Praxi* „&c. totum esse, ut ostendat, quod nec Instructiones, nec Leges, „nec diligentiæ, nec attentiones, neque omnia, quæ in quovis

„ Ministrorum ordine reperiuntur, nec ipsa Ecclesia Romana, cæ-
„ terarum omnium hactenus Mater & Magistra, satis ponderis ha-
„ beant ad stabiliendam solidam & irrefragabilem praxim."

Pro Coronide addit hoc scomma: "Ille solus scilicet cum pau-
„ cis suis rem heri acu tetigit. Opstratium *nimirum liberanda ve-*
„ *ritas expectabat.*" Tertul. de Præscript. cap. 29.

Nunc diluenda quæ objicit.

1. " Sequi videtur error gravis: Quod optima praxis semper sit
„ apud pauciores."

Respondeo verbis Contensonii, " Præceptorum Ecclesiasticorum
„ observantiam, & castæ moralis disciplinæ custodiam esse quidem
„ singularem (*apud pauciores*) si cum illorum moribus conferatur,
„ qui laxiora sectantur; scriptum est enim, *stultorum infinitus est*
„ *numerus*: & voce Veritatis asseritur, quod lata est via quæ du-
„ cit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per illam. At verò
„ si utrorumque vitæ consuetudo ad Evangelicarum Ecclesiastica-
„ rumque regularum amussim exigatur, jam quæ privata & singu-
„ laris videbatur, communis jure censebitur, utpotè communi San-
„ ctorum usu probata, tametsi à paucis arctam viam ineuntibus
„ servata." De Pœnit. cap. 2. Specul. 3. in solut. Object. 1.

2. Quid de Episcopis, id est, Ecclesiæ Ministris principaliori-
bus, in plenario Concilio adunatis: An optima in administrando
Pœnitentiæ Sacramento praxis his aliquando placeret? Dicit enim
quod *Numquam* &c.

R. Quid si vicissim ego quærerem ab Accusatore, an iisdem ali-
quando placerent optima in moribus? Dicit enim Doctor Stey-
aert, cujus partes in accusando agit, *Numquam tam præclarè agi
cum rebus humanis, ut quæ optima in moribus sunt, pluribus
placeant?* Sed nè effugium quærere videar, tam pro me quam pro
ipso respondeo, manifestum esse nos non agere de Episcopis in
plenario Concilio adunatis: qui ut universalem Ecclesiam repræ-
sentant, ita in declarando Ecclesiæ circa fidem, mores, & praxim
sensu errare non possunt. Verum de hominibus privatis agitur per
Orbem universum dispersis: nec agitur de fide & sensu ipsorum cir-
ca mores & praxim; sed de ipsis ipsorum moribus & praxi. De his
autem credimus semper verum esse quod dixit Christus, PAUCOS
esse *qui inveniunt angustam portam & arctam viam quæ ducit ad
vitam.* Matt. 7. adeoque etiam semper moraliter verum esse, quod
quæ optima sunt in moribus & praxi administrandi Sacramentum
Pœnitentiæ pluribus non placeant, sic nimirum ut opere etiam ea
præstent.

"At,

 146

"At, inquit, nos per Ecclesiam intelligimus *plebem Sacerdo-"ti adunatam*, ut S. Cyprianus loquitur."

R. Et nos eam intelligimus: sed quid indè confici potest? An quod ea dicenda sit praxis Ecclesiæ, quam plures de plebe & Sacerdotibus sequuntur? Minimè. Nam plures sequuntur praxim, quam ipsi non probant: *Video meliora proboque, deteriora sequor.* An quod ea sit praxis Ecclesiæ, quam plures ex illis praxim Ecclesiæ esse sentiunt? Nec hoc sequitur. Nam sensum suum fortè multi mutarent, si aut maturius eum ad sensum Ecclesiæ expenderent, aut in Concilio aliquo generali sententiam suam dicere deberent: & quamquam non mutarent, non propterea mox ex plurium illorum sensu concluderet Ecclesia aut Concilium aliquod generale, eundem etiam esse sensum Ecclesiæ; sed sensu plurium cum sensu pauciorum collato, diligenter expenderet, uter illorum Scripturæ Sacræ & Traditioni conformis sit, eumque tandem definiret esse sensum Ecclesiæ, quem in illis contineri deprehenderet. Exemplum habemus obvium in Doctrina de probabilibus. Si eo tempore, quo *Mundus se*, ut loquitur Doctor Steyaert, *Probabilistam mirabatur*, rogati fuissent Sacerdotes cum plebe suum de probabilitate sensum promere; respondissent fortè plerique id quod in Academiis & Scholis tunc edocti erant tamquam certissimum, *Licitum esse sequi sententiam probabilem.* Sed absit ut propterea ex plurium illorum sensu continuò conclusisset Concilium aliquod, eum esse sensum Ecclesiæ; nam etsi reclamasset vel unus, imò etsi reclamasset nemo, diligenter tamen doctrina illa ex sacris litteris & traditione discussa fuisset, priusquam ventum fuisset ad definitionem, atque ita facilè doctrinæ illius falsitas deprehensa fuisset.

§. 23.

Refutantur imposturæ Accusationis *circa hanc Propositionem, quæ inter 61. fuit quadragesima quinta:* Objicies Authoritatem Ritualium, & præsertim Romani. Resp. Cum nullum conditum sit ab Ecclesia universali, vel saltem ab ea approbatum, tamquam quod sensum illius & praxim contineat, nullius etiam tanta potest esse, quanta est Ecclesiæ. *De praxi adminiſt. Sacram. Pœnit. pag. 32. lin. 7. & seqq.*

NEscio quâ iterum fide Propositionem hanc excerpserit & exhibuerit Accusator. Verba hæc: *Objicies auctoritatem Ritua-*

tualium, & præsertim Romani. Resp. non sunt Opstratii, sed ipsius Accusatoris, qui ista Opstratio affinxit, ut videatur Opstratius Auctoritatem Ritualium & præsertim Romani sibi objectam rejicere; quod numquam fecit. Imo verò fecit contrarium, ut ex toto contextu, unde propositio sumpta est, patet: *Etsi*, ait, *veneranda sit Ritualium Auctoritas: non tamen Auctoritati Ecclesiæ adæquanda est. Siquidem Ritualium Auctoritas major esse non potest, quàm sit illorum, qui ea condidêre, vel qui ab aliis condita, ut sua, approbarunt. Itaque cum nullum conditum sit ab Ecclesia Universali, vel saltem ab ea approbatum, tamquam quod sensum illius & praxim contineat: nullius etiam tanta esse potest, quanta est Ecclesiæ universalis auctoritas.*

Hæc sunt Opstratii; non verò ea quæ protulit Accusator, qui ad fulciendam calumniam subjungit: "Ad ostendendum quod Author directè impugnet doctrinam Ritualis Romani, & censeat „eam non esse à Pastoribus observandam, ponitur adjuncta: *Quæ „merè spectant ad Ritus observanda sunt à Pastoribus in admi„nistratione Sacramentorum.... Verum non est eadem Authori„tas Ritualium in iis quæ doctrinæ sunt..... Quod si Pontifex „Paulus V. voluisset Rituale etiam esse normam doctrinæ, quam „Pastores sequerentur, certè id in sua Præfatione nec tacuisset „nec tacere potuisset.*" Ibid.

Certum est hæc ibidem nec haberi, nec umquam ab Accusatore ibidem lecta esse: Undè rursus ipsius in accusando temeritas elucet. Locus, unde verba illa truncata sunt, non aliud habet, quam non eandem esse Authoritatem Ritualium in iis quæ doctrinæ sunt, ac in iis quæ sunt Rituum: Quæ est ipsa doctrina Doctoris Steyaert ita pronuntiantis: *In Ritibus præcipua Manualium est Authoritas.* De Administ. Sacram. Pœnit. concl. 43. Probatur verò id ex ipsa præfatione Ritualis Romani, ubi Pontifex suum in edendo Rituali consilium his verbis significat: "Restabat ut uno etiam „volumine comprehensi sacri & sinceri Ecclesiæ Catholicæ RITUS, „qui in Sacramentorum administratione aliisque Ecclesiasticis „functionibus servari debent ab iis qui curam animarum gerunt, „Apostolicæ Sedis Authoritate prodirent; ad cujus voluminis præ„scriptum, in tanta Ritualium multitudine, sua illi Ministeria, „tamquam ad publicam & obsignatam normam peragerent, uno„que ac fideli ductu inoffenso pede ambularent cum consensu." En summi Pontificis consilium, uno volumine comprehendere

sacros

sacros & sinceros Ecclesiæ Catholicæ Ritus, *qui in Sacramentorum administratione aliisque Ecclesiasticis functionibus servari debent.* Non dicit eodem volumine se etiam comprehendere voluisse Ecclesiæ Catholicæ doctrinam: nec proinde dici potest, eandem esse Ritualis Romani quoad doctrinam & quoad Ritus auctoritatem: major enim est illius authoritas quoad Ritus, ad quos præscribendos disertè se dicit Pontifex illud edere, quàm quoad doctrinam, ad quam præscribendam se illud edere non dicit: Atque hoc unum dixit Opstratius. Et quid, quod ipsum Rituale Romanum dicat quid amplius? Nam ubi tractat de iis quæ in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt, ita habet: "Quæ de „Sacramentis scire, servare, & docere Parochi debent, cum ex „aliis libris, tum præcipuè ex Catechismo Romano sumi possunt. „Siquidem hic DE IIS FERE TANTUM agere instituti operis ratio „postulat, quæ ad ipsorum quinque Sacramentorum RITUS per„tinent." Rituale Rom. impressum Lugduni 1680. En expres„sum disertissimè, quod institutum Ritualis Romani sit, *de iis „fere tantùm agere, quæ ad Sacramentorum* RITUS *pertinent.*

Imposturæ itaque sunt propositiones ipsius XXXVII. XXXVIII. & XXXIX. Quibus accedunt sequentes.

Quarta, "Sensum nostrum esse, quod error circa praxim non „tantùm resideat apud Ministros; sed quod non extet ullum Ri„tuale, ne Romanum quidem, quod sit sufficienter approbatum, „tamquam quod Ecclesiæ universalis praxim contineat." Resl. 1.

Quinta, "Quod Ritus (Ritualium) observandi sint, Doctrina „non item." Ibid.

Sexta, "scopum nostrum videri esse, infringere Auctoritatem „Ritualium & præcipuè Romani." Resl. 2.

Septima, "Infringere quidquid non tradit procrastinationes ab„solutionum, aliasque novitates, quibus delectamur." Ibidem.

Atque hæ satis ex dictis refutatæ sunt. Supersunt Objectiones.

1. Ex Bulla, quâ Paulus V. Rituale approbat, sic argumentatur: In omni Ritu includitur doctrina à Ritu inseparabilis: ergo unà cum Ritu approbatur doctrina.

R. Quæstio nulla est de doctrina, quæ in Ritu includitur, atque ab eo inseparabilis est: nam hanc unà cum Ritu approbari nulli dubium est. Sed de doctrina agitur, quæ in Ritualibus seorsim à Ritibus traditur; circa quam hoc unum affirmamus, quod ad eam

tradendam Ritualia præcipuè condita non sint: ut ex ipso Rituali Romano jam docuimus.

2. Objicit Canonem 13. sess. 7. Concil. Trid. quo anathema dicitur iis, qui *receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus.... contemni.... omitti.... aut.... per quemcumque mutari posse dixerint.*

R. Et nos iis anathema dicimus; ideoque, vel ipso *Querulo* fatente, ritus observandos esse docemus.

3. Sic argumentatur: " Varia Mysteria fidei, v. g. transsub-„stantiationis ex Ecclesiæ ritibus defendimus: Hæc verò argumen-„ta fluxa jam & caduca erunt omnia, si Regulæ Opstratianæ obti-„neant: nihil enim erit facilius responsu, quam servari Ritus pos-„se, sed Ecclesiam in doctrina, istis ritibus inclusa, cespitasse: Er-„go &c."

R. Jam dixi non agi de doctrina ritibus inclusa, quæ æquè ab Ecclesia Catholica probatur ac ipsi Ritus ab eadem probati; omninoque fatemur, rectissimè Mysteria fidei ac solidissimè ex ritibus ab universa Ecclesia receptis adversus Protestantes, exemplo SS. Patrum, defendi. Sed hoc agitur, an doctrina in Ritualibus seorsim à ritibus tradita tantæ authoritatis sit, quantæ est ipsa universalis Ecclesia? Quod negat propositio accusata; eò quod Ecclesia universalis nullum Rituale condiderit aut approbârit, in quo doctrinam cum tanta authoritate definire ac tradere voluerit. Id quod confirmatur ex ipsa Bulla Pauli V. Rituali Romano præfixâ, ubi summus Pontifex, nullâ factâ mentione de doctrina, tantum *receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus uno volumine comprehensos esse* præfatur. Cæterum si doctrina, in Ritualibus tradita, ipsius Ecclesiæ authoritatem obtineret; jam ea ipsis Conciliorum Generalium definitionibus adæquanda foret: quod nec ipse Accusator contendere auderet.

Et hæc quidem pro se Opstratius. Sequuntur nunc Responsa aliorum, quos Author *Querulus* in eodem Scripto accusat.

148

§. 24.

Responsio ad propositionem quæ fuit inter 61. accusatas quinquagesima tertia: Referuntur quædam occurrentia, in Confraternitate SS. Trinitatis sub titulo B. M. V. de Redemptione Captivorum, quæ perniciosi erroris occasionem dare possunt (Zegerus Bernardus van Espen in Dictatis authenticè exhibitis fol. 38. verso lin. 1.) tria potissimum occurrunt, quæ dicto errori favere videntur, ac populo occasionem in illum incidendi, & Hæreticis materiam Ecclesiæ tribuendi, dare possunt. Primum Communicatio bonorum operum Confratribus hujus Confraternitatis, quibusdam diebus fieri solita, sub hac formula verborum: Communicamus vobis fratres orationes, jejunia, Missas, peregrinationes, & labores, pro redimendis etiam captivis, susceptos, cæteraque opera bona quæ per Dei gratiam, in nostra Congregatione & ordine fiunt, In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. *Ibid. lin.* 10. *& seqq.*

DIcit *Querelator*, se nescire, quo fundamento hanc formulam communicationis bonorum operum impugnem. Sed ostendere debuisset, me eam impugnare. Nec enim dixi, eam esse erroneam; sed hoc asserui & assero, quod nisi à Parochis aliisque Animarum Directoribus exponatur, quæ sit vis hujus communicationis, natum sit fieri, ut ex illa generali communicatione bonorum operum in perniciosum errorem populus incidat:" Quia hinc „facilè apprehendent Fideles vulgares (ut habent Dictata) quod „ex hoc solum quod huic Confraternitati sint inscripti, Scapulare „Confraternitatis gestantes, singulis diebus quinies *Pater noster*, & quinies *Ave Maria* pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ, „hæresium extirpatione, & Principum concordia recitantes; addito „uno *Pater noster* & *Ave Maria* cum versu *Gloria Patri* &c. „pro bona intentione Summi Pontificis; atque exiguam eleëmo-„synam verbi gratia trium assium cùm primum Confraternitati „inscribuntur, & medium autem singulis annis pro redemptione „captivorum offerentes (ut regulæ Confraternitatis præscribunt) „participes efficiuntur omnium istorum bonorum operum: atque „hinc ulterius facilè continget, ut segniores reddantur ad similia „pietatis opera, & mortificationis exercenda, credentes hæc sibi, „vi confraternitatis abunde communicari, eorumque fructum ap-„plicari."

Hæc si auctor *Querelæ* addidisset, sat perspicuum fuisset, me formulam non simpliciter improbasse; sed solum monere, meritò Parochos solicitos esse, ut vis hujus formulæ populo exponatur, ne aliàs effectum illius ultra verum apprehendendo in perniciosum errorem incidat. Unde & §. 19. monui: "Interim dum hæc formula communicationis bonorum operum à Superioribus toleratur, poterunt Parochi pro opportunitate ostendere, quàm parum fidendum sit huic bonorum operum communicationi, nisi ipsi bona opera exerceant."

Hanc formulam communicationis bonorum operum *tolerari*, non autem *positivè* probatam esse, sat innuit ipsum Decretum Congregationis Rituum probatum per Constitutionem Clementis VIII. ad quam provocat *Querela*.

In hoc enim Decreto dicitur §. 4." Quamvis non sit usitatum eam ita generatim fieri, sed certis tantum personis & Benefactoribus, tamen Sanctitas Sua *non prohibet* id fieri expressis diebus, omnibus qui præsentes fuerint Confratribus *tantum* & Sororibus."

Dein addit §. 6. " Prohibet expressè Sanctitas sua ne populus in Civitatibus, terris & locis publicè invitetur à dictis Congregationibus ad suas Ecclesias ad consequendam supra dictam communicationem Indulgentiarum & bonorum operum, hoc est, in plateis, viis & locis publicis non apponantur cedulæ impressæ seu manuscriptæ, quibus indicatur & promulgetur talis communicatio Indulgentiarum."

§. 25.

Responsio ad Propositionem inter 61. accusatas quinquagesimam sextam: Quis enim in animum inducat tantam Indulgentiarum profusionem à Pontificibus verè emanasse, qui non ignorant, quin & profitentur, quia per indiscretas, & superfluas Indulgentias, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur? *Van Espen ibid. fol.* 49. *lin.* 2. *& seqq.*

SEnsum esse duplicem illius propositionis, dicit Censura apposita; atque in uno illorum non esse censurabiles; sed quis sit duplex ille sensus non exprimit. Hoc scio me hoc unum voluisse, & in dictatis apertissimè exposuisse, nullatenus verisimile esse, tantam indulgentiarum farraginem, qualis in libellis Confraternitatum passim occurrit, à Sede Apostolica emanasse; sed plerosque similes libel-

libellos meritò annumerari libellis illis, de quibus Synodus Provincialis Mechliniensis anno 1570. titulo *De Indulgentiis*: "Monet „pios suos filios eadem hæc Synodus, ne circumforaneis quibus„dam, aut etiam cum privilegio impressis libellis temerè fidem „habeant, qui ex levibus aut superstitiosis causis, incertisque re„velationibus, immodicas, & plus æquo exorbitantes pollicen„tur indulgentias; potissimùm si promissiones contineant certo„rum effectuum, periculorum scilicet evitationem, à gladiis, à „tormentis, ab aquis, à peste, aut liberationem certam à Pur„gatorio." 149

Et Synodus Cameracensis anno 1565. eodem titulo "præcipit „ut Parochi populum suum diligenter admoneant, ne circumfo"raneis quibusdam, aut etiam impressis libellis temerè fidem ad"hibeant, qui ex levibus, vanis & superstitiosis causis exorbitan"tes indulgentias pollicentur."

Rationem addit: "Cum indulgentiæ non nisi ex piis & ratio„nabilibus causis concedi debeant."

Legat *Querelator* libellos Confraternitatum idiomate vulgari impressos, & hîc distribui solitos; videbit, quàm graphicè hi libelli à Synodis illis descripti sint.

Monui ergò conformiter ad citatas Synodos, quod meritò moneatur populus, ne libellis illis facilè fidem adhibeat; neque indulgentiis ibidem relatis temerè fidat; expresse eam in rem citatis verbis Synodi Cameracensis.

§. 26.

Responsio ad Propositionem quæ fuit inter 61. accusatas 57. Si hæc verba, *nisi per ipsos steterit*, accipiantur in dicto sensu, quod si gestantes Scapulare de sua parte nihil omiserint de observantia mandatorum Dei, morientes in Scapulari æternum non sint passuri incendium: ridicula plane redditur revelatio, cum etiam gestantes suam chlamydem, si nihil de sua parte omittant de observantia Mandatorum Dei, morientes æternum non sint passuri incendium. Si verò præfata verba, nisi per ipsos steterit, ita accipiantur, quasi gestantibus Scapulare promissum sit, quod certo sint accepturi eam gratiam, quâ fiat ut sint observaturi mandata Dei, aut saltem in fine vitæ talem habituri pœnitentiam, quæ ad evadendum æternum incendium sufficiat, tunc rursus hâc admissâ explicatione major virtus attribuitur gestationi Scapularis,

quàm ullius Sacramenti ſuſceptioni. Non obſtante igitur ſimili expoſitione, verum eſt, rem revelatam vel eſſe ridiculam vel inanem, vel eſſe aliquid in Eccleſia hactenus inauditum, & Scripturæ, Patrum traditioni, qui rebus indifferentibus & externis nunquam tantam tribuêre virtutem, diſſonum potiùs, quàm conſonum. *Idem ibidem fol.* 17. *l.* 17. & *ſeqq.*

RUrſus hic monet cenſura, propoſitionem hanc accipi poſſe in duplici ſenſu; atque in uno ſenſu acceptam poſſe dimitti. Sed quis is ſit ſenſus non exponit.

Ut autem ſenſus meus, aliàs, credo, ſat clarè in Dictatis expreſſus, innoteſcat, ſciendum, me primum oſtendiſſe, quod revelatio, quæ B. Simoni Stock facta dicitur, & exprimi ac proponi ſolet his verbis: *Dilectiſſime meus, recipe hoc tui Ordinis Scapulare, meum Confraternitatis ſignum, tibi & cunctis Carmelitis privilegium, in quo quis moriens æternum non patietur incendium: ecce ſignum ſalutis, ſalus in periculis, fœdus pacis & pacti ſempiterni*, ſi ſimpliciter proponatur, nata ſit populum inducere in perniciosum errorem; ſcilicet "in abominandam eorum vanitatem ac ſuperſtitionem, qui certo pollicentur non ex hac vita migraturos ſine pœnitentia & Sacramentis eos, qui hunc illumve ex Divis coluerint:" uti loquuntur Synodus Cameracenſis an. 1565. tit. De Sanctis cap. 6. & Synodus Mechlinienſis anno 1609. tit. 14. cap. 1.

Poſthæc monui in Dictatis: "Neque refert, quod peritiores forſan aliter verba illa accipienda eſſe ſciant, imo dicant: quia populus verba illa audiens & legens non ſolet attendere ad ſenſum improprium quem vel ipſi peritiores difficulter exprimere poſſunt; ſed ad ſenſum proprium ac obvium. Nemo vero ambigere poteſt, quin juxta obvium ſenſum verba illa præfatam ideam imprimant."

Scilicet illam ideam, quod qui præfatum habitum (id eſt *Scapulare*) geſtaverit, Confraternitatique adſcriptus externa pietatis præſcripta exercitia præſtiterit, ſecurus ſit, quod æternum non patietur incendium.

Poſt hæc quorumdam formulæ illius expoſitiones proponere & diſcutere intendens, hanc mihi objectionem formavi: "Sed replicabitur forſan ulterius, quod ultra geſtationem habitûs neceſſa-

„ria

„ria ſit mandatorum obſervatio; multum tamen conferat Scapula-
„ris geſtatio. Eſt enim illa, ait Theoph. Raynaudus Soc. Jeſu in Sca- 158
„pulari defenſo parte 2. q. 7. pignus uberis gratiæ auxiliatricis à
„Deipara ſodalibus ſuis exarata, cujus interventu ſervabunt man-
„data, & vitam ſancto fine concludent: & hæc eſt vis ſpecialis ju-
„xta Deiparæ ſponſionem. Vel, ut Joannes De Lezana in Maria Pa-
„trona cap. 5. num. 12. exponit, ideo in prædicta viſione ſalutem
„animæ & liberari ab infernorum pœnis tribui S. Scapularis indutio-
„ni, quod illud piè geſtantes, quantùm eſt ex parte Beatæ Mariæ
„Virginis ipſiuſque pro ipſis interceſſione, niſi per ipſos ſteterit,
„ſalutem conſequentur æternam.

„Sed nonne admiſsâ priore verborum illorum expoſitione, res
„ipſa revelata nihilominus diſſentiet potiùs quàm conſentiet Scrip-
„turæ ſacræ, & Patrum traditioni? Quandoquidem rei planè de
„ſe ad bonum vel malum indifferenti, nimirum externæ habitus ge-
„ſtationi divinitus dicatur annexum, ut ſit teſſera & pignus uberis
„gratiæ &c. quod nec Sacramenti ullius ſuſceptioni, nec incruen-
„ti Sacrificii oblationi reperitur conceſſum?"

Hæc occaſione prioris expoſitionis dixeram; in quibus Accuſator nihil reperit quod accuſaret.

Dein oſtendere volens, nec poſteriorem expoſitionem revelationi, quæ B Simoni ſtock facta fertur, convenire, dixi: "Quod po-
„ſteriorem illorum verborum expoſitionem ſpectat: Si hæc verba,
„*Niſi per ipſos ſteterit*, accipiantur in eo ſenſu, quod ſi geſtantes, & cætera quæ in ipſa propoſitione accuſata referuntur.

Quid verò hæc aliud ſignificant, quam quod ſi verba hæc, *Niſi per ipſos ſteterit*, ita accipiantur, ut geſtantes Scapulare, *æternum non ſint paſſuri incendium*, ſi obſervent omnia mandata Dei, tunc nihil *ſpeciale* datum ſit per hanc revelationem geſtantibus Scapulare: cum & illi qui illud non geſtant, *ſi obſervent omnia Dei mandata*, æternum non patientur incendium.

Neque autumo, quod Querelator noſter neceſſariam ſibi credat geſtationem Scapularis Carmelitici, ut æternum non patiatur incendium; ſi modo cum geſtatione Scapularis & habitus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini obſervet omnia Dei mandata.

Dum alterum ſenſum illorum verborum, *Niſi per ipſos ſteterit*, rejeci; quid aliud ſignificavi aut volui, niſi hoc unum, quod geſtationi Scapularis nequeat dici annexum privilegium, quod illud geſtantes certò ſint accepturi eam gratiam, quâ fiat, ut ſint ob-

obſervaturi mandata Dei; aut ſaltem talem habituri pænitentiam, quæ ad æternum evadendum incendium ſufficiat?

Hoc enim privilegium ſi geſtationi Scapularis dicamus annexum; nonne meritò dicetur, geſtationem Scapularis eſſe *certum* prædeſtinationis ſignum; atque Beatum Simonem Stock accepiſſe Scapulare, tamquam ſuæ & omnium Confratrum illud geſtantium, prædeſtinationis *certam* teſſeram; atque inter omnes praxes devotionis erga Divam Virginem, devotionem ipſius Scapularis eſſe notam certiorem prædeſtinationis, & ſignum omnium ſecuriſſimum ſalutis? Quæ omnia in nupero ſuo Decreto inter alias ſeptem propoſitiones cenſuravit Epiſcopus Atrebatenſis. Propoſitio prima gallicè expreſſa hæc eſt: " Le Bienheureux Simon Stock a reçu le Scapulaire comme la marque certaine de ſa prédeſtination, ,, de celle de ſes Religieux, & des autres Fideles qui dans la ſuite ,, des tems devoient le recevoir."

Tertia his verbis exprimitur: "Entre toutes les pratiques de dé- ,, votion inventées pour honorer la ſainte Vierge, celle du ſcapu- ,, laire eſt la marque la plus certaine de prédeſtination, & le ſigne ,, le plus aſſuré du ſalut."

Cenſura eiſdem ſubjecta eſt:" Declarons les Propoſitions ci-deſſus ,, marquées, dans leur ſens propre & naturel reſpectivement fauſſes, ,, temeraires, ſcandaleuſes, propres à expoſer le culte de la Vierge à ,, la raillerie & à jetter les pécheurs dans l'impenitence, en les arré- ,, tant dans leurs deſordres par une vaine & préſomtueuſe con- ,, fiance."

Expendat nunc Accuſator, num expoſitio illorum verborum, *Niſi per ipſos ſteterit*, à me rejecta, non coincidat ſaltem quoad ſenſum cum hiſce propoſitionibus; minoremque mereatur cenſuram?

Sed forſan reponet, propoſitionem non accuſari in hoc ſenſu; ſed in ſenſu, quo ſignificatur, piam Scapularis geſtationem, piaque Confraternitatis exercitia, nihil ad evadendum æternum incendium valere, uti in ſuis reflexionibus non obſcurè innuit. Verùm neſcio quâ ſpecie ex verbis propoſitionis hunc ſenſum elicere, aut mihi affingere potuerit Accuſator? Quid enim in ipſa propoſitione occurrit, quod vel ſpeciem iſtius ſenſûs præfert?

Deinde ſi quid obſcurum in hac expreſſione occurreret, nonne ex profeſſo non ſemel in Dictatis, è quibus propoſitio excerpta eſt aſſerui, quod pia Confraternitatum exercitia proſint ad ſalutem,

imo

imo quod ipsæ Confraternitates vel eo titulo ab Ecclesia sint utiliter institutæ, quod per eas plures in unum consociati, se mutuo excitent ad exercitium bonorum operum, & mutuis precibus mutuam salutem promoveant; si modo ex mente Ecclesiæ omnia peragantur: ostendique, quàm immeritò hæretici nostri temporis ipsum Confraternitatum institutum improbent, & calumnientur. 151

Nonne nominatim *cap*. 3. §. 17. Dictatorum laudavi Decretum S. Congregationis editum 11. Februarii 1613. & probatum à Paulo V. quo Fratribus Ordinis Carmelitarum permittitur prædicare, quod populus Christianus possit *piè credere* de adjutorio & protectione Divæ Virginis, si in charitate discesserint, & Scapulare gestaverint, ac præscripta pietatis opera in ejus honorem piè obierint?

Dico itaque, uti & satis clarè dixi & repetii in Dictatis, cum Episcopo Atrebatensi in citato Decreto Regula 8." Il est impossible qu'un Chrétien soit sauvé sans faire penitence, sans garder „les Commandemens de Dieu, sans l'aimer. Le Scapulaire ne le „sauvera pas sans cela. Avec cela il sera infailliblement sauvé sans „porter le Scapulaire. Toutes ces propositions sont de Foy. A quoi „donc lui servira le Scapulaire? A être en l'autre vie plus sévérement châtié, s'il le porte sans faire penitence, sans garder les „Commandemens de Dieu, sans l'aimer: A recevoir ici-bas beaucoup de secours de la Sainte Vierge, s'il y joint une vie penitente, une vie chrétienne; en un mot, s'il porte le Scapulaire en „Chrétien, & non pas, comme plusieurs le font, en Juif, c'est à „dire, exterieurement seulement, & qu'il observe ce que l'Eglise „prescrit pour recevoir les graces qu'elle a attachées à cette pieuse Confrairie.

Si igitur nihil aliud prætendatur per revelationem quæ facta prætenditur B. Simoni Stock, non refragabor: sed quomodo hic sensus consistat cum supra expressa formula revelationis; & qua ratione vulgari populo eam formulam audienti, & in sensu obvio & naturali eam intelligenti, sufficienter sit cautum, ne incidat in vanam & præsumptuosam fiduciam de consequenda salute ex sola Scapularis gestatione, judicent, & expendant Superiores.

§. 27.

Refutatur Accusatio *circa propositionem inter* 61. *vigesimam tertiam :* Sanè si nihil negetur, nisi quod pro liberrimo Confessarii arbitrio, seclusâ etiam Confessione negari possit, negeturque eo modo, qui nullam confessi criminis suspicionem ingerere possit, non satis clarè intelligitur inferri Pœnitenti gravamen: neque enim dicitur quis gravare pauperem, cui indebitam prorsus eleëmosynam honesto modo negat, ita quidem, ut nec ipse pauper scire possit sibi ob Confessionem auditam negari. *Hennebel Systh. Sacram. Pænit. pag.* 24. *lin.* 16.

INfideliter exhibetur propositio: Neque enim doctrinam illam simpliciter asserit Hennebellus; sed postquam ostenderat eam esse Principum Scholæ, SS. Thomæ, Bonaventuræ, Antonini, item Scoti, Dionysii Carthusiani, & aliorum plurium, quærit, sitne hodiè tutum doctrinam illorum authoritate firmatam tradere? Respondet autem, tutum fore, *nisi vel per Romanorum Pontificum, vel Synodorum, vel alia Canonica Superiorum Decreta, illi, vel saltem illius praxi derogatum sit.* Tum Decretis variis, quæ sequentibus sæculis emanârunt, cum doctrinâ istâ collatis, an ei derogatum sit, disquirit. Ac tandem subjungit: *Nihil hic decido, quia expositionem aliorum, ac præcipuè Superiorum judicium sequi malo quam prævenire.* Quid hic vel per speciem possit accusatione dignum videri?

Accusare potiùs debuerat *Querulus* Doctorem Steyaert, qui in Thes. defensa 14. Januarii 1690. hæc habet: *Juxta D. Thomam potest Abbas v. g. absolvere Priorem à cura Prioratus, quam illi ex Confessione novit esse ad ruinam, sed ex aliqua alia occasione, & ita quod omnis suspicio vitetur de Confessionis revelatione. Item qui novit ex Confessione aliquem indignum esse Prælaturâ, potest eâ scientiâ uti, non tantum ad negandum ei suffragium, sed etiam, si sua intersit, ad contradicendum ejus promotioni, si sint aliæ causæ, ut defectus ætatis, scientiæ, vel hujusmodi.* Si enim in casu propositionis pauperem gravat Confessarius; quantò magis pœnitentem gravabit in casibus S. Thomæ? Sed quidquid sit ea de re, profitetur Hennebellus se nihil hic decidere; sed malle Superiorum judicium sequi, quam prævenire. Recantet ergo imposturas sequentes Accusator.

1. "Quod

 152

1. "Quod assertivè pronuntiet Hennebellus, id quod de grava-
„mine pauperis præsupponit, veluti certum." Refl. 1.

2. "Quod scopus ipsius videatur esse, stabilire cautum exem-
„plum, quo utamur scientiâ Confessionis, ut perveniamus ad a-
„lios casus." Refl. 2.

§. 28.

Refellitur Accusatio *circa Propositionem inter 61. vigesimam sextam*: Ex illa (*Sanctorum doctrina*) constat, quod Confessor debet interrogare specificationem personæ, cum qua Pœnitens peccavit, dum est circumstantia necessaria dici; quod ex multiplici capite contingere possit. 1. Ad integritatem Confessionis. 2. Ut congrua suggerantur media, quibus pœnitens ab occasione peccandi proxima liberetur. *Hennebel Systh. Sacram. Pœnit. pag.* 16. *lin.* 25. *& seqq.*

HUjus propositionis duæ sunt partes, quarum prima asserit: *Quod Confessor debet interrogare specificationem personæ, cum quâ pœnitens peccavit, dum est circumstantia necessaria dici ad integritatem confessionis*. Hanc vel ipse *Querulus* doctrinæ Sanctorum conformem esse fateri cogitur.

Altera propositionis pars est, *Quod Confessor debet interrogare specificationem personæ, dum est circumstantia necessaria dici, ut pœnitenti congrua suggerantur media, quibus ab occasione peccandi proxima liberetur.*

Casus v.g. sit, ubi pœnitens ope alienâ egeret, ut se defendat ab alio complice, qui ipsum sollicitat & inducit ad malum. Demus talem pœnitentem ignorare cujus opem implorare possit, & consilii causâ adire Confessarium, à quo congrua media suggeri non possint, nisi persona sollicitans innotescat: manifestum est, eo casu specificationem personæ vel ultrò à Pœnitente aperiri debere, vel à Confessore interrogari.

Atque idem est de alio casu quocumque, *ubi circumstantia aliqua sit necessaria dici*, qualis est quæ in ipsa propositione designatur, si aliter pœnitens ab occasione peccandi proxima liberari non possit: Quis enim Confessario, qui non Judicis solùm, sed & Medici ac Patris munere fungitur, de circumstantia illa nihil quærendum dixerit; sed potiùs absque auxilio pœnitentem dimittendum?

 Porrò

Porrò an hæc necessitas declarandi Complicis aliquando non nimium extendatur, alia quæstio est. Certè Propositio veram necessitatem requirit: hoc autem pósito doctrina illa prorsus certa & indubitata esse videtur. Neque verò eam impugnat Accusator, nisi eam infideliter exhibendo per imposturas, quæ sequuntur.

1. "Debet Confessarius interrogare nomen Complicis, ut congrua suggerantur media, quibus Pœnitens ab occasione peccandi proxima liberetur." Propos. XXIV.

2. "Notandum quod per specificationem Author intelligat individuationem nominis." Refl. 1.

3. "Scopus videtur esse injicere sibi suisque facultatem, imò necessitatem interrogandi nomina complicum, ut arripiant occasionem contra eos agendi sub prætextu correctionis, seu boni Publici, & hujusmodi." Refl. 2.

4. "Multa extant exempla in Belgio." Ibid.

Dum eum provocamus, ut vel unum saltem exemplum, servato juris ordine, proferat & probet; ad alias ipsius accusationes refutandas pergimus: Nam Objectiones, quas hic movet Reflexione 3. responso dignas non credimus.

§. 29.

Refutatur Accusatio *circa propositionem inter* 61. *vigesimam nonam:* Sed quid de iis, qui rident scrupulosam Majorum nostrorum prudentiam, volentium ut pœnitens alium etiam Confessarium quærat, si huic fortè peccatum suum sine alieno patefacere non possit? Distinguendum hic videtur circa Confessarium illum: si enim talis sit, qui & pœnitenti & complici, tamquam benignissimus Pater prodesse possit, non obesse; nescio quinam illi sint Majores nostri, saltem Sancti, qui velint pœnitentem, de quo in casu, alium Confessarium quærere. *Hennebel Systh. Sacram. Pœnit. p.* 17. *lin.* 25. *& seqq.*

HAnc propositionem censurat Accusator tamquam *temerariam & scandalosam:* quâ temeritate, videamus. Sanctus Antoninus 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 11. adeo non vult pœnitentem, de quo in casu, alium Confessarium quærere, ut dicat quod si pœnitens *exprimat cum bona intentione personam cum qua peccavit, ut non prodat, vel se excuset*, sed ut Confessarius oret pro ea, vel cum secreta admonitione corrigat, NON PECCAVIT, inquit, SED MERETUR.

Hauſit hanc doctrinam S. Antoninus ex Summa S. Raymundi illuſtrata notis Joannis de Friburgo, quam loco jam allegato citat; nam in hac Summa lib. 3. §. 29. verſus finem in notis Joannis de Friburgo expreſsè habetur, *quod ſi pœnitens perſonam* cum qua peccavit, bona intentione exprimat pœnitentiario, qui eſt perſona, quæ poteſt prodeſſe non obeſſe, non ut prodat ipſum peccatorem, ſed ut pœnitentiarius oret *pro* ipſo *aut ſecretè laboret ad correctionem ejus*, NON PECCAT, SED POTIUS MERETUR. Arg. Cauſâ 25. q. 2. can. *Hoc videtur*.

Doctrinam hanc ſequuntur Theologi, qui ſponſo ante contractum Matrimonium cum ſponſa fornicato ſuadent cum Doctore Steyartio in ſuis Concluſionibus Theologo-practicis de Sacramento Pœnitentiæ, adire Confeſſarium non talem cui ignota ſit ſponſa, ſed illum ipſum cui ſponſa confitetur, ut Confeſſarius ille jam à ſponſo inſtructus, & facultate neceſſariâ munitus juvare poſſit ſponſam, ſi fortè pudor à confitendo peccato ſuo eam impediret.

Dubitari etiam nequit, quin mulier terminare optans gravia, quæ cum marito habet diſſidia, adire poſſit mariti Confeſſarium, confiteri illi miſerandum ſuum, maritique ſtatum, ac ejus opem implorare ad reſarciendam pacem inter eos jam pridem diſruptam, ad quam indubiè conferre plurimum poterit Confeſſarius, dum Confeſſionis cauſa eum de rei ſtatu jam inſtructum maritus conveniet.

Idem dicendum, ſi mulier à marito compulſa ad patranda crimina, ob quæ venit ira Dei de Cælo ſuper filios hominum, ab iis tandem emendare ſe volens rem totam Confeſſario mariti aperiat, ut ſuis orationibus, exhortationibus, pœnitentiiſque injunctis à tantis criminibus maritum revocet.

Quorum quidem omnium ratio ſi diligenter requiratur, ea eſſe comperietur, quod pœnitens laudabiliter laboret pro converſione complicis, illiuſque peccatum licitè alteri revelet, dummodo id faciat, ſervato ordine correctionis fraternæ.

Porrò requirit ordo ille quod ſicut medicus corporalis ſanitatem ægro confert, ſi poteſt, ſine membri alicujus abſciſſione; ſi autem non poteſt, abſcindit membrum minùs neceſſarium, ut vita totius conſervetur; ita etiam ille, qui ſtudet emendationi fratris, debet ſi poteſt, ſic emendare fratrem, quantum ad conſcientiam, ut fama ejus conſervetur.

Negari autem non poteſt quin famæ complicis ſummoperè ſtu-

 deant

deant illi, de quibus in casibus supra allegatis, cum soli Confessario aperiant peccatum complicis, quod, sicut ipsum pœnitentis peccatum, sub sigillum Confessionis cadit, adeo ut circa complicem operari nihil possit Confessarius nisi juxta leges à pœnitente sibi præscriptas.

Sanè Divus Thomas quodlib. XI. q. 12. art. 13. censet prælato non ut prælato, sed ut personæ privatæ proficienti ad correctionem proximi & emendam tum posse, non violato correctionis fraternæ ordine, denuntiari crimen subditi ejus, quando Prælatus ille est pius, discretus, spiritualis, cujus verba benè fert subditus.

Quod D. Thomas de Prælato, hoc ego dicò de Confessario, tum nempe posse pœnitentem pro correctione complicis implorare opem sui Confessarii, non violato ordine correctionis fraternæ, quando Confessarius est pius, discretus, & spiritualis, cujus verba benè fert complex; tum enim patet talem Confessarium complici, de quo quæstio, prodesse posse, non obesse. Si quid verò horum desit, deprehendi mox poterit, an pœnitens ille sui excusationem, complicis proditionem, aut aliud simile potius non quæsierit, quam fratris emendationem.

Ideo fatendum est, quod in his omnibus summa cautela tum ex parte pœnitentis, tum ex parte Confessarii requiratur, nè vel pœnitens ordinem correctionis fraternæ à Christo præscriptum prætereat, vel Confessarius ansam nonnullis quandoque tribuat obmurmurandi praxi ejus, quasi scientia ex Confessione hausta, contra Confessionis sigillum, abuteretur.

Itaque non tam doctrinam Hennebelli, quàm doctrinam S. Antonini, S. Raymundi, & (teste ipso Doctore Steyaert) S. Thomæ censurat Accusator.

Manifesta autem impostura est, "Quod scopus Hennebelli videatur esse quâcumque viâ se ingerere in notitias complicum." Refl. 2.

Quod objicit Reflexione 3. ex Cardinali De Lugo, *Est præceptum quærere alium Confessarium, dum potest*, sic intelligit Suarez de pœnit. Disput. 34. sect. 2. Assert. 2. ut locum non habeat, *quando illa mutatio Confessoris fieri non potest sine nimia difficultate & gravi incommodo: Quia*, inquit, *charitas non obligat cum tanto dispendio vitare damnum proximi, sed tantùm cum facilè fieri potest.* Quæ ipsa doctrina est Hennebelli eo loco, quo accusatur. Siquidem propositioni accusatæ subnectit hæc verba; "Cæ„terum si periculum sit, ne vel pœnitenti, vel complici, vel Con-
„ses-

„ fessario obsit illa Confessio , possitque sine graviori pœnitentis „ detrimento apud alium institui confessio, nescio quis scrupulosam „ eorum rideat prudentiam , qui volunt ut tunc pœnitens alium „ Confessarium quærat." Quæ si non suppressisset *Querulus*; omnis ipsius accusatio & objectio evanuisset.

§. 30.

Refutatur Accusatio circa Propositionem, quæ inter 61. fuit trigesima: Omnibus examinatis & maturè discussis, quæ ad fidem Pœnitentis probandam pertinent, cogitare poterit Confessarius de facienda denuntiatione, juxta facultatem sibi à Pœnitente datam: Qua in re magnopere probabit Ordinario integritatem suam, si Complicis nomen sibi revelari numquam passus sit; tum enim denuntationem suam Ordinario faciens, exponet, quamdiu, quàm diligenter, Pœnitentem illum exercuerit; quibus signis integritatem fidei ejus probaverit, interposito etiam, si opus fuerit, juramento calomniæ; quàm alienus fuerit, ne sibi revelaretur Complex, quem nequidem usque modo novit; injungens tantùm pœnitenti, ut ipsa per se nomen illius, qualitatesque exprimendas describat, scriptum claudat, sibique tradat, includendum Epistolæ ad Ordinarium mittendæ, in qua rei gestæ series describatur. *Hennebel Syst. Sacram. Pœnit. pag. 20. lin. 28. & seqq.*

INquirit Hennebellus loco citato modum aliquem, quo cum minimis incommodis executioni mandari possit Bulla Gregorii XV. quâ mandat omnibus Confessariis, ut suos pœnitentes, quos noverint ab aliis Confessariis occasione vel prætextu confessionis ad turpia sollicitatos fuisse, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes Inquisitoribus seu locorum Ordinariis. Inter alios modos proponit illum, qui in propositione describitur, tamquam quo consulatur & famæ mulieris lapsæ, & quantum fieri potest, famæ complicis. *Equidem*, subjungit, *si cui occurrat modus denuntiandi, quo felicius, securius, suaviusque obtineri possint fines, quos in denuntiationibus Sancta Mater Ecclesia sibi præfigit, eos amplectar ex animo.* Hæc pro fide sua omisit Accusator; quæ si propositioni, ut debebat, subjunxisset; nè per umbram quidem in ea accusandi, nedum censurandi, materia inveniri poterat. Quomodo enim accusatione aut censurâ dignus sit, qui pro suo modu-

 lo

lo modum quærit, quo Decreta Pontificum absque incommodis executioni mandentur: & sic quærit, ut paratus sit modum meliorem, quem alius suggesserit, ex animo amplecti. Et in Italia quidem hic modus servatur. Debet persona sollicitata facere denuntiationem, vel coram Ordinario, vel coram alio, qui ab ipso Ordinario facultatem habeat denuntiationem illam excipiendi, & illius instrumentum conficiendi, cui subscribere debet persona denuntians. Instrumentum autem ferè est ejusmodi: *Anno tali, Mensis N. die tali, coram me à Sancto Officio vel ab Ordinario specialiter delegato comparuit N. tot annorum, quæ præstito super Sanctis Evangeliis de dicenda veritate juramento, declaravit se die tali Confessionis gratia tale templum adiisse; illic accessisse talem Confessarium, à quo ad peccatum carnis taliter sollicitata fuit. Cum autem ab alio Confessario monita fuerit, se beneficium absolutionis consequi non posse nisi talem denuntiet Sancto Officio vel Ordinario, volens ipsa officio suo fungi & ad beneficium absolutionis anhelans hoc ipsum coram me à S. Officio vel Ordinario specialiter deputato declaravit, prout hoc instrumento declarat, cui manu propriâ subscripsit anno, mense, die, quibus supra. Et erat signatum N. N. Quod testor &c.* Hæc praxis in Belgio hactenus usu recepta non fuit: si recipiatur, erit id gratissimum Hennebello, qui inquirendo tantum suggessit id, quod praxi ibidem receptæ & Ordinationibus Episcoporum maximè congruum videbatur.

Impostura est itaque atrocissima, "Quod scopus Hennebelli vi„deatur esse, posse diffamare quemcumque absentem, incog„nitum, inauditum, & indefensum, ad relationem cujuscum„que mulieris." Resl. 2.

§. 31.

155

§. 31.

Refutatur Querela *paginâ 42. & 43. ubi accusat has Propositiones :* Sic omnes justi mandata semper observare possunt, etiam cum deest gratia efficax, quemadmodum homines visu prædiri in tenebris videre possunt ob internam videndi potentiam; id verò sufficit. *Arnald. Differt. Theol. parte 4. p.* 183. Rectè à Sanctis Patribus & Scholasticis dictum est, ut nemo potest sine luce videre, ita sine gratia efficaci nihil bene fieri posse. *Ibid. pag.* 76. Homini gratiâ efficaci destituto non magis prodest illa bene volendi potentia, quàm homini in tenebris constituto prosit integra & illæsa videndi potentia. *Hennebel in Brevi Expos. art.* 4.

SImiles locutiones in Scriptura Sacra, in S. Augustinó & Patribus, in S. Thoma & antiquis Theologis non rarò inveniri, adeóque verum sensum habere, asseruit non ita pridem celeberrimus in Urbe Thomista in *Explicatione Naturæ & Necessitatis sufficientis auxilii juxta principia D. Thomæ & ipsius Scholæ.* Hic præmissis variis sufficientis auxilii distinctionibus, sic prosequitur: "Hæc omnia si admissa fuerint, facilè dignosci poterit quo „ sensu explicanda & intelligenda sint plurima quæ in D. Augu„ stino, D. Thoma, aliisque Patribus aut veteribus Theologis sæ„ piùs reperiuntur, quæ alioquin cum notione communi sufficien„ tis non satis convenire existimari forsitan posset. Necesse enim „ est ea à Theologis omnibus explicari, cum ex Patribus desumpta „ sint. Hujusmodi verò illud est, quod inquit D. August. lib. de na„ tura & gratia cap. 26. *Quod sicut oculus planissimè sanus* nisi „ candore lucis adjutus non potest cernere, sic & homo perfectissimè „ justificatus nisi æterna luce sive Justitiæ Divinitus adjuvetur, „ rectè non potest vivere. Eadem omnino verba refert & usurpat „ D. Thom. 1. 2. q. 109. a. 9. in sed & contra. Et quidem ea re„ fert D. Thom. ut probet quod homo, *qui jam habet gratiam,* „ *indiget alio auxilio gratiæ ut rectè vivat.* Ibidem. Quod auxi„ lium dubio procul est efficax auxilium : Igitur etiam cum efficax „ deest, dici potest, ac dicit D. Thom. post D. Augustinum, *quod* „ *homo non potest rectè vivere, sicut & oculus nisi candore lucis* „ *adjutus* (*aut in tenebris constitutus*) non potest cernere.

„ Atque hic loquendi modus in Scriptura Patribusque frequens

„est. Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere. 6. Nemo potest ve-„nire ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, quæ loca Divinæ „gratiæ effectricis defensores, ut efficaciam hujus probent, semper „usurpant. Igitur sine efficaci auxilio voluntas *& potest & non „potest*. Potest voluntas potentia antecedente ex sufficienti auxi-„lio; *non potest* potentia consequente defectu efficacis auxilii. Po-„test interdum voluntas remotè, non potest interdum proximè, „ut explicuimus. Ita enim & Tridentinum sess. 6. cap. 11. *Deus „impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, „& petere quod non possis*. Igitur is cui jubetur ut sese conver-„tat, & potest, & non potest. Potest quia aliquas habet vires, & „non potest quia adhuc infirmas habet vires.

„ *Sic oculus candore lucis non adjutus*, seu in tenebris constitu-„tus, & potest & non potest cernere. Potest ex ipsa potentiæ vi-„sivæ vi activa, qua plenissimè sanus est. Non potest ex defectu „lucis, qua necesse est tum ipsam potentiam roborari, tum obje-„ctum visibile fieri.

„An verò par utrimque ratio sit & lucis & gratiæ, & oculi & „voluntatis, non fuit D. Augustinus aut D. Thomas solicitus. Ali-„qua in omni comparatione similia sunt, plurima dissimilia. Usur-„para est ea comparatio lucis & gratiæ ad commendandam necessi-„tatem Divinæ gratiæ & efficacis auxilii, non verò ad excludendam „necessitatem sufficientis auxilii, aut hujus vim deprimendam.

„Ea quidem comparatione abuti quidam possunt, sed ad decep-„tionem omnem amoliendam, qua ratione intelligatur explican-„dum est; & si explicetur ut nos explicuimus, & ut à D. Au-„gustino ac D. Thoma usurpata est, nihil mali habere potest, nec „in eorum sensu ullum venenum tegit ea comparatio.

„Quod si quis diceret, quod *homo cum gratia proximè suffi-„cienti, absente efficaci, non magis potest benè agere, quam homo „in tenebris positus videre*; si intelligeret de potentia conse-„quente, & cum actu conjuncta, comparatio admitti posset; mi-„nimè verò si de potentia antecedente intelligeretur. Magis enim „est completa voluntas cum auxilio sufficienti, quam potentia vi-„siva carens luce aut in tenebris constituta, neque in eo posita est „comparatio. Quod si intelligeretur, quod potentia videndi ho-„minis in tenebris positi completissima est, ita ut nihil nisi sola „lux desit ut videat, sicut voluntas auxilio sufficienti instructa com-„pletissima est, etiam nihil mali ea comparatio haberet.

„ Quod

 156

„Quod si demum quis diceret; *quod homini gratia efficaci desti-„tuto non magis prodest illa benè vivendi potentia; quam homini „in tenebris constituto prosit integra & illæsa videndi potentia;* „eodem sensu de potentia cum actu conjuncta haud difficile ea „comparatio admitti potest. Nihil etiam vetat de sufficienti auxi-„lio dici, quod de lege à D. Paulo dictum est, legem esse sine gra-„tia inutilem, nihilque prodesse, quamvis alia ex parte plurimum „profuerit, & prærogativas legis alibi D. Paulus, & plures quidem „enumeraverit.

„Habenda est principiorum ratio: nam alioquin ex varia ratio-„ne, vario sensu dici potest quod magis potest, & non magis po-„test voluntas quam oculus, & quod magis prodest, & quod non „magis prodest sufficiens auxilium, & varia principia stabilita sunt; „sed satius est iis exemplis, in quibus errandi periculum inesse „potest, nunquam usurpare, nisi apertior explicatio adjunga-„tur.".

His se per omnia subscribere professus est Hennebellus, *ex animo*, inquit, *vovens, ut scriptum hoc, pro pace inter Theologos dissidentes sarcienda compositum, pacis tessera esse possit*. Romæ 27. Octob. 1696. Promiserat etiam eidem subscribere Desirantius: sed fidem fefellit.

Et post hæc audet adhuc insultare Hennebello, tamquam qui *potentiâ* quidem *proximâ & voce*, gratia sufficiens, *utatur, sed sanum earum sensum rejiciat, & aliis verbis Jansenianas tradat*. Resl. 2.

Istud verò audax facinus, quod Doctor Lovaniensis, & Sacræ Facultatis filius, nunc tandem tentet hæreditatem Patrum suorum convellere. "Inter Censuram (Lovaniensem) inquit, distinguimus & Justificationem ejus. Hæc explicans quo sensu homo si-„ne gratia possit servare mandata, adducit similitudinem: *Quo-„modo*, inquit, *dicitur posse manducare panem, etiam cum pa-„nem non habet, neque etiam quidquam unde sibi panem compa-„ret; ut etiam dicitur videre posse qui non habet lucem, sed in te-„trum carcerem conjectus est.*" Justificatio Cens. Lov. c. 12. n. 177.

Hujus autem erroris originem dicit verè reduci ad tempora Baii, *cui*, inquit, *Justificatio famosæ Lovaniensis Censuræ tribuitur*.

Ex suo Accusatorem Principali refutabo. Non distinguit inter *Censuram* & Censuræ *Justificationem* Doctor Steyaert.

 Narrat

Narrat hic in *Assertione Censuræ* ad objectionem VI. se anno 1679. cum Eximiis Sacræ Facultatis Doctoribus VAN VIANE ET LUPO, ad pedes Suæ Sanctitatis admissum, inter cætera dixisse, " *Majores nostros olim sensa sua & Adversariorum exposuisse in O- „pusculo illo quod Censuram vocaverunt; quodque tunc* UNA CUM „ JUSTIFICATIONE *ejusdem, judicio S. Sedis submiserunt. Idem „ quoque se modo facere,... petere, ut Sanctitas Sua S. Congrega- „ tionis examini librum ejusque doctrinam subjiceret.... paratos „ expungere.... quidquid illa ex hoc libro expunctum vellet. Si „ verò illa nihil expungeret, securè... perrecturos in via anti- „ qua; nec formidaturos æmulorum insultus, ubi sciremus no- „ stra à Sede Petri non improbari.* His dictis, Librum in pro- „ prias Sanctissimi Domini manus tradidisse.. Annuisse verò il- „ lum,.. selectis ad hoc Viris doctissimis, qui suum deinde ju- „ dicium cum ad S. Congregationem, tum ad ipsum referrent. „ Quod & non multò post fecerunt, atque inde responsum datum „ ab Illustrissimo S. Officii Assessore, qui affirmârit, nihil in eo „ S. Congregationem aut Summum Pontificem improbasse." *Profectò,* subjungit idem Doctor ad Object. VII. ibidem, *si adhuc error est (error nimirum damnabilis) in his quæ Ecclesia Romana, sic rogata ab Academicis istis, sic instigata ab Adversariis, tanto spatio tantoque rigore discussit; liceat mihi dicere Apostolicæ sedi, quod olim alius Deo dixit:* Si error est, à te decepti sumus... *Non ergo simpliciter evasit Censura nostra.... Evasit tunc, cum evadere nequaquam potuisset, si quid in ea displicuisset Ecclesiæ.*

Minimè ergo *Censuram* inter & *Justificationem* distinxit Doctor Steyaert, qui *Censuram* una cum *Justificatione* olim à Majoribus, & tunc à se judicio S. Sedis submissam fuisse affirmat: Minimè distinxit Sedes Apostolica, quæ censuram unà cum justificatione discussit; Minimè distinguunt cæteri Facultatis Sacræ Lovaniensis filii, qui sciunt nec in *Censura*, nec in *Justificatione* quidquam Sedi Apostolicæ displicuisse: solus *Censuram* inter & *Justificationem* distinguit Accusator, qui in eo se à Collegis suis, ipsoque adeo Principali suo, distinguit.

" At, inquit, erroris hujus origo verè reducitur ad tempora Baii, " cui Justificatio Censuræ tribuitur."

R. *Ita uno ductu calami* Accusator *denigrat utramque Facultatem Belgicam* (Lovaniensem & Duacensem) *utraque subito fit Baiana, quando iis placet, quos urit ipsarum invisa Censura...*

Sed

Sed nec Bajus tamen, quamquam minimè tunc pudendus, tam illustris facti dux fuit aut princeps. Notum est gloriam istam deberi egregio illi Henrico Gravio (addere poterat Baii æmulo) *qui & Censuræ, ejusque Justificationis Author indubitatus habetur.* Hæc iterum Doctor Steyaert in *Assertione Censuræ* ad Object. VIII. Concluditque ad Object. IX. his verbis: *Omnes... Doctrinam libro sæpedicto* (Censurâ Lovaniensi & Duacensi cum Justificatione) *contentam sic suscipimus, uti hæreditatem Patrum nostrorum, à qua non minus inviti discedemus unquam, quam Naboth à vinea sua... Parati sumus omnes pro hac communi doctrina stare, velut pro aris & focis.* Nesciebat tunc scilicet, à communi illa doctrina recessisse, aut certè recessurum Accusatorem.

§. 32.

Respondetur ad Accusationem *hujus propositionis:* Obligatio quam habet Confessarius examinandi pœnitentem cujuvis ætatis, conditionis & sexus, faciliùs locum habet in materia luxuriæ. *Gummarus Huygens de Castitate.*

TRia sunt mala ob quæ avertenda confitentes sunt à Confessario (servatis servandis) examinandi. Primum, ut per examen impediri queat, ne confitentes Sacramentum suscipiendo sine contritione de præteritis, careant ejus effectu. Secundum, ne ob ignorantiam malitiæ quæ inest eorum peccatis, in mortalia labantur in futurum. Tertium, ne Sacramentum suscipiendo indignè, huic irrogent irreverentiam.

Ista faciliùs obtinent in materia luxuriæ; quia hæc est magis illecebrosa, magisque subjecta ignorantiis, cùm non lædat proximum, saltem palpabiliter, nec Deum contemnat manifestè: præterea peccata luxuriæ deferuntur difficillimè, excæcant maximè; & quia pudenda sunt, occultantur magis sollicitè.

Supponendum præterea, prout in citatis Thesibus de Castitate ostendimus, quod ex una parte immineat morale periculum dictorum malorum aut alicujus illorum, & quod ex parte altera adsit spes per examen illa avertendi, nec obstet aliud, quia, ut ponitur, servantur servanda: quibus si addi cogites cautelas, quas conformiter ad instructiones Confessariis porrigi solitas, in citatis Thesibus de Castitate conclusione 4. §. 2. & 3. adhibendas diximus, non videtur in

 ist-

ista doctrina reperiri aliquid quod sit culpabile, imo quod non sit laudabile admodum.

Scio contrarium sentire eos qui pro digna Sacramentorum susceptione parum aut nihil solliciti, promptissimè credunt esse contritos qui tales se esse pronuntiant, saltem ubi de opposito non certò ipsis constat; & quod præcipuum, cùm ad peccandum formaliter cum Celestio & Abaelardo requirant notitiam malitiæ, putant se nocere pœnitentibus, ipsos de peccatorum suorum malitia instruendo, ut ex. gr. de malitia pollutionis per eos procurari solitæ.

Contra illos ac potissimum postremos dico perutile esse quod per examen Confessarii Pœnitens discat quanta culpa insit illis quæ ante in materia libidinis ignorabat esse mala & nihilominus committebat; quo titulo singulariter est utile, ut qui solitus est semetipsum polluere nesciens hoc esse culpabile, discat per examen Confessarii, quantum malum in fœditate ista consistat: etenim ab hoc peccato vix unquam contingit liberari quempiam, nisi interveniente cognitione malitiæ; patratur enim sine nota infamiæ, committitur sine damno temporali, absunt incommoda alia, quæ animum cohibent ab adulterio, fornicatione, ebrietate, &c.

Præterea etiam in aliis luxuriæ peccatis modò de illis periclitetur quispiam, utile est ut sciat eorum malitiam. Siquidem malitiæ notitia non accendit, sed compescit potius peccandi libidinem; quandoquidem hominum nullus, nisi diabolicus fortè, propter peccati malitiam prosequatur peccatum, ut notissimum est in peccatis plerisque & specialiter in iis quæ sunt contra castitatem.

 158

§. 33.

Respondetur ad Propositionem quam accusat Querela *pag.* 39.
Primum ac maximum mandatum *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* involvit duplex præceptum: alterum quo jubetur ut omnes actiones nostræ saltem virtualiter in Deum referantur; alterum quo jubemur Deum diligere ut finem nostrum ultimum simpliciter sive ipsius agentis. Circa prius præceptum in primo maximoque mandato inclusum quædam adnotanda sunt: primum quidem, nos non dicere, quod omnes actiones in Deum referri debeant per charitatem perfectam; sufficit enim quod agamus ex casta Dei dilectione. *Ex Thesibus Theologicis à Gummaro Huygens Lovanii propugnatis* 12. *Julii anni* 1685.

HUic Propositioni Accusator adjungit Censuram hanc: *Quoad primam & secundam partem, dimittitur; quoad tertiam si intelligatur, quod omnes nostræ actiones debeant fieri ex casta Dei propter se dilectione formali seu formaliter concomitante actu, est improbabilis & temeraria; si verò intelligatur de dilectione virtuali seu virtualiter perseverante, dimittitur.*

Sed proculdubio propositio intelligitur de dilectione virtuali seu virtualiter perseverante; quod adeo notum est omnibus omnino qui Scholas Lovanienses frequentant, ut eorum neminem latere possit. Quare impossibile est ut mihi persuadeam, quod Accusator Querulus de eo vel dubitaverit. Hinc non video quo colore, cum ipse sit Lovaniensis Doctor, propositionem illam accusare potuerit, nisi fortassis id fecerit eo fine ut occasionem captaret dicendi aliquid contra Thesim cui titulus: *Articuli Theologorum Lovaniensium exhibiti Illustrissimo ac Rmo. Dno. Archiepiscopo Mechliniensi causâ concordiæ ineundæ cum R. R. P. P. Societatis Jesu & aliis.*

§. 34.

Respondetur ad propositionem quam accusat Querela *ibidem:* Rarissimum est, quod castitas perpetua licitè voveatur ab illis, qui non didicerunt ex casta vita notabili tempore præcedente se castitatis donum meritò à Deo exspectare. *Huygens in Justificatione Compendii.*

JUstificatio Compendii, quæ, me inscio, edita est, adversus accusationem respondet his verbis: Gratia efficax ut per eam castitas servetur, non omnibus datur; juxta illud Christi Domini Matth. 19. *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est:* Item secundum istud S. Pauli 1. Corinth. 7. *Unusquisque proprium donum habet à Deo.*

Addit Justificatio: hinc requiruntur signa legitimæ vocationis, ut quis ad castitatem perpetuam sese adstringat; quorum signorum unum è præcipuis est casta vita notabili tempore præcedens; qualis etiam præcessisse potest in adolescentibus & juvenibus.

Porro si istud passim observaretur ante emissionem voti, præcipuè solemnis, quanta mala à statu Ecclesiastico & Religioso arcerentur!

Notum quippe est experientiâ quotidianâ, ingentia reincidendi pericula imminere illis, qui à vita impudica nuper cessarunt: quod etiam locum haberet in ipsis, etsi certum foret esse revera conversos; quod tamen rarissimum est post libidines diuturnas, & cessationem brevem.

Præterea, si, ut non temerè voveatur castitas perpetua, neges requiri quod ex vita notabili tempore præeunte didiceris te donum castitatis perpetuæ à Deo meritò exspectare, dic vel nihil omnino prærequiri in homine, etsi impudicitiis inveterato, vel sufficere quod in præsens, ut credit, habeat voluntatem castè deinceps vivendi, aut ad summum exigi, ut tempore aliquo, quod tamen notabile non sit, castè vixerit. Quæ vel audita, feriunt.

§. 35.

Responsio ad Propositionem quam Querela *accusat pag.* 40. Quod ex juris ignorantia, etiam involuntaria, procedit, peccatum est. *Gummarus Huygens in Dictatis suis. Art.* 8. *Observ.* 4.

CErtissimum est quod nullibi habeam aut habuerim umquam istam propositionem; quippe indubitatum mihi semper fuit,

fuit, iſtud quod ex juris ignorantia involuntaria procedit, poſſe carere culpâ omni etiam veniali, idque non ſolùm in jure humano, ſed etiam in poſitivo divino.

Admitto equidem, me aliquando difficultatis aliquid moviſſe circa ea quæ ex ignorantia juris naturalis procedunt, ſupponendo hanc quandoque eſſe involuntariam dum ex ea liberè aliquid committitur contra jus naturæ. Verùm in eiſdem illis dictatis & loco eodem protinus reſpondi, difficultatem illam ad me non pertinere, utpote profitentem quod ignorantia omnis ex qua liberè contra jus naturæ aliquid fit, ſit voluntaria: quod etiamnum dico & dixi jam pridem in Theſibus noſtris valde amplis De Ignorantia. Concluſ. 14. defenſis 14. Martii anno 1683.

§. 36.

Reſponſio ad Propoſitionem, quam accuſat Querulus *paginâ* 40. Ad libertatem requiſitam ad actus fidei, ſpei & charitatis, nulli neceſſitatem gratiæ admittant, neceſſe eſt. *Huygens in Theſibus Lovanii* 2. *Martii* 1684.

DEmus hominem aliquem perditiſſimum, qui ab intellectu & voluntate ſtudio excluſerit gratiam omnem credendi, ſperandi & Deum amandi; numquid ille ex voluntate adeo obſtinata nec credens, nec ſperans, nec amans peccabit? Numquid ergo ſine gratia omni retinebit libertatem credendi, ſperandi &c. Si libertatem, nonne etiam potentiam aliquam credendi, ſperandi &c?

Hinc S. Aug. de Prædeſt. S.S. cap. 5. *Poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ eſt fidelium.* Sed aliud, inquit Accuſator, eſt *poſſe habere fidem* &c. aliud *poſſe credere* &c. Et addit: Sicut aliud poſſe habere alas, aliud poſſe volare, Ad hæc ego: Auguſtino & mihi prorſus æquivalere, poſſe habere fidem, ſpem, &c. ſive poſſe iſta veluti actus vitales in ſe recipere, & poſſe credere, ſperare &c. Etenim uti contradictionem implicat, actus iſtos vitales de facto in ſe recipere, & de facto non credere, ſperare &c. ita quoque apertam implicat contradictionem, actus iſtos vitales in ſe recipere *poſſe*, nec tamen credere, ſperare &c. *poſſe*. Quod poſſe habere alas non ſit idem quod poſſe volare, idcirco eſt, quia non omnis qui alas actu habet, actu volat, ſicut omnis qui fidem, nimirum ut actum ſuum vitalem habet, actu credit.

 Nugari

Nugari videtur Querulus Author, dum asserit me non admittere tertium, quod sit medium inter posse remotissimum, quod est naturæ, & inter agere; qua in re aut fallit aut fallitur crassissimè. Dico ergo, me præter posse istud remotissimum ex. gr. sese convertendi perfectâ conversione ad Deum, etiam integram duodenam potestatum, sese ad Deum convertendi, distinctarum ab ipsa conversione, admittere; ita ut harum secunda sit perfectior & vicinior actui quam prima; & tertia vicinior quam secunda; quarta vicinior præ tertiâ, & sic ulterius. Quis enim ignorat ex cujuslibet novi gradus gratiæ ante completam conversionem accessione, obtineri perfectiorem convertendi potestatem; & econverso ex cujuslibet novæ malitiæ accessu, iri ad remotiorem sese convertendi potestatem?

Ex illa potestatum sive ad bonum sive ad malum multitudine, dicuntur aliqui quidpiam non posse, nimirum potestate quâdam propinquiori aut proximâ: qui tamen etiam rectè dicuntur idem illud posse potestate aliquâ remotiori aut remotissimâ: ex. gr. de fratribus Joseph genes. 37. pronunciatur: *Non poterant ei* (Joseph) *quidquam pacificè loqui:* potestate nimirum propinquiori aut proximâ; hi tamen non loquendo fratri suo pacificè, proculdubio peccabant, adeoque pacificè loqui poterant, puta potestate remotiori aut remotissimâ. Similiter, qui teste Christo Joan. 5. credere non poterant, quia gloriam ab invicem accipiebant & gloriam, quæ à solo Deo est, non quærebant, unâ potestate credere non poterant, aliâ poterant: non poterant, quia hoc indicat Christus: poterant tamen, quia non credendo peccabant.

§. 37.

Responsio ad propositionem, quam Author Querulus *accusat paginâ* 41. Generaliter dicendum quod Dei præcepta v. g. de fide, spe & charitate posse adimplere, sit naturæ, sed reipsâ adimplere sit gratiæ. *Gummarus Huygens in Thesi* 5. *Feb.* 1683.

Nunquid in responsione ad anteriorem propositionem clarissimè ostensum est, istum qui studio ab intellectu & voluntate excludit omnem gratiam credendi, sperandi & amandi, adeoque de facto nullam talem gratiam habet, peccare non credendo, non sperando, non amando? Si peccet, ergo potest credere, sperare, amare. Nonne consequentia est evidens? Rursus, si potest

cre-

credere, sperare &c. ergo potest adimplere præcepta fidei, spei, & charitatis. Sed ipse ex supposito ab animo suo exclusit omnem omnino gratiam credendi, sperandi &c. ergo posse adimplere præcepta de fide, spe & charitate est naturæ. Quid ad hæc Author Querulus, quandoquidem illorum quidlibet sit evidentissimum?

§. 38.

Respondetur ad propositionem quam Author Querulus *accusat ibidem:* Negamus requiri juxta sensum assignatum potentiam proximè expeditam credendi & amandi, ut quis peccet non credendo aut non amando; sed sufficit talis remota quæ potest haberi sine gratia.

EVidens est talem remotam sufficere in illo perditissimo homine, qui pergit studio excludere omnem gratiam credendi, sperandi &c. quod Accusator addit: *mihi illam potentiam sufficere etiam in justis*, videtur indignum Doctore Theologiæ. Quomodo enim ille erit *sine omni gratia*, si sit *justus*; & quomodo *justus* si *sine omni gratia?*

§. 39.

Refutatur Querela *circa hasce Propositiones quas accusat pag.* 44. & 46. In definiendo, quisnam sit verus & naturalis sensus alicujus Propositionis, Ecclesia non est infallibilis: hæc enim cognitio pendet ex inquisitione humana, atque etiam ex intelligentia præceptorum Grammaticæ ac Theologiæ & vocabulorum usu. *Hennebel art. 9. Scripturæ contra Addit. Formul.* Non ita in promptu est cognoscere & definire, quisnam sensus sit alicujus libri: siquidem id cognosci non potest nisi diligenti inquisitione & studio humano, scilicet examinando modos loquendi Authoris, & ætatis in qua vixit; comparando ad invicem præcedentia cum consequentibus, ac deinde perscrutando varia principia, quæ in eo libro stabiliuntur: Quæ quidem omnia, quia longioris sunt inquisitionis, Ecclesia per se immediatè facere non solet, sed per delegatos dumtaxat, quorum diligentia, quantumvis maxima supponatur, usque ad fundandam certitudinem fidei pertingere non valet. *Hennebel ibidem.*

HUic Accusationi refutandæ sufficit DECLARATIO, quam illi jam dudum opposuit Hennebellus, & Sacræ Congregationi

in Urbe exhibuit. Cum enim non cessaret Doctor Steyaert Lovanii, nec Deputatus ipsius Romæ accusare Hennebellum, quod Ecclesiæ autoritatem, tum in definiendis quæstionibus fidei & morum, tum in docendo nos per praxim suam, everteret; hic accusationem tam iniquam refellere, & super ea plenissimè Sedi Apostolicæ satisfacere cupiens, apertè declaravit.

Primò. Certum prorsus ac indubitatum sibi esse, quod Ecclesia in determinandis fidei ac morum quæstionibus errare non possit.

Secundò. Quod Ecclesia non tantùm definiendo, sed etiam practicando nos infallibiliter docere possit, sæpiusque docuerit, ac doceat ea, quæ ad fidem moresque pertinent.

Tertiò. Hanc doctrinam de Ecclesiæ, tum in definiendo, tum in practicando infallibilitate à se teneri eodem planè sensu, quo à primariis quibusque Theologis in Ecclesia Catholica passim tenetur, ac defenditur, seque nihil prorsus hac in parte docere singulare.

Quæ cum ita sint, satis se mirari non posse, errores menti suæ tam contrarios à Doctore Steyaert tam leviter sibi adscribi.

Siquidem Ecclesiæ in definiendis fidei ac morum quæstionibus infallibilitatem à se oppugnari, hoc uno argumento contendere Doctorem Steyaert, quod sustinere Hennebellum dicat, Ecclesiam infallibilem non esse in judicando, quis sit sensus obvius, & naturalis alicujus propositionis.

Verùm nullo negotio argumentum hoc refelli, dummodo quis sit quæstionis status, clarè explicetur. Nam manifestum esse, se in eo convenire cum Doctore Steyaert, quod, dum constat quo sensu propositionem aliquam tamquam fidei contrariam Ecclesia damnaverit, sensum illum tamquam fidei contrarium omnes damnare debeant, cum unanimiter profiteamur, Ecclesiam in definiendis fidei quæstionibus infallibilem esse.

Eo verò posito, quod fideles unanimiter damnent sensum illum, quem in aliqua propositione ab Ecclesia damnari constat, ac solum inter aliquos oriatur quæstio, an sensus, quem in propositione illa damnatum voluit Ecclesia, sit sensus proprius & naturalis illius propositionis; rationabiliter à nemine negari posse tunc non amplius de fide agi, sed disputationem esse de verborum quorumdam significatione, id est grammaticalem, quia merè inquiritur propria significatio ac energia, vel vocabulorum quorum-
dam

dam ſecundùm ſe, vel combinationis eorum inter ſe, & cum aliis tam præcedentibus quam ſubſequentibus.

In quibus quæſtionibus ad Grammaticam magis quam ad fidem pertinentibus Pontifices & Concilia errare quandoque poſſe, nullus unquam Theologus, aut Canoniſta ante exortas has de Formulario contentiones dubitârit; ideoque quæſtiones de ſenſu Epiſtolarum Honorii Papæ, de ſenſu trium Capitulorum, de una vel tribus hypoſtaſibus, & alias ejuſmodi, quamdiu de ſola propoſitionum aut vocabulorum ſignificatione diſputatum fuit, ad fidem non pertinere, unanimiter omnes ſuſtinuiſſe, quemadmodum latius deduxerat in Scripto ſacræ Congregationi exhibito, ſub hoc titulo: *Reſponſio ad ſecundum ſcriptum Patris Magiſtri Deſirant*, cui titulus: *Perſiſtentia*, Item in alio, cui titulus: *Explicatio cauſæ Honorii, trium Capitulorum &c.*

Æquè infirma eſſe ea, quibus Doctor Steyaert, & alii nonnulli contendunt, nos Eccleſiæ per praxim ſuam Fideles docentis auctoritatem non agnoſcere. Neque enim ad firmandam fundandamque hanc accuſationem ſuam proferre aliud, quam quod contra id, quod Eccleſia tot ſæculis practicavit, præexigamus opera pænitentialia, ſeu præparatoria *ante abſolutionem.*

Quibus verbis aut adſcribere nobis velle Doctorem Steyaert, *quod ante abſolutionem præexigamus* opera, quæ per modum ſatiſfactionis pro pæna temporali poſt remiſſionem peccati reſtante, juxta hodiernam Eccleſiæ praxim, imponi ſolent verè pœnitentibus, & contritis: & manifeſta calumnia eſt; cum notorium ſit, nos palam ſuſtinere, quod ante abſolutionem peragenda non ſint ejuſmodi opera, ſed abſolutionem ſalutariter impendi poſſe omnibus verè contritis, etiam illis, qui per talia opera Deo nondum ſatisfecerint.

Vel nobis adſcribere, quod à peccatoribus quandoque nonnulla pietatis opera præexigamus, quia ea neceſſaria judicamus, ut ad veram cordis converſionem proficiant, & ad contritionem ſaltem imperfectam, quæ ad veniam & juſtificationem etiam in Sacramento percipiendum omnino requiritur, debitè diſponantur.

Et libenter fateri nos, eam eſſe ſententiam noſtram, ſed prorsùs negare eam praxi & conſuetudini Eccleſiæ eſſe contrariam; imò perſuaſum habere, eam Ritualis Romani aliorumque Ritualium regulis ac menti Eccleſiæ planè conformem eſſe. Certè Confeſſariis hanc certis quibuſdam caſibus erga pœnitentes agendi rationem valde commendaſſe Sanctum Carolum Borromæum, eamque vide-

 re

re nos nostro hoc tempore à sanctissimis viris, & zelosissimis quibusque Episcopis adhuc laudari & commendari. Quin & experientiâ compertum, si prudenter, & cum debita circumspectione adhibeatur, pœnitentibus inprimis utilem ac salutarem esse.

Cæterùm se hæc omnia S. Congregationis judicio humillimè submittere paratum emendare, quidquid Sedes Apostolica fidei mater & magistra emendandum esse censuerit; hoc unum rogare, ut dum ipse judicium ejus humillimè præstolatur, eos compescere dignetur S. Congregatio, qui omnia turbare malunt, quàm illius judicium aut expectare aut sequi.

Hæc Hennebellus in Urbe coram S. Congregatione, totâ Ecclesiâ inspectante; dum interim instabat Accusator cum suis pro condemnatione. Verùm immunis evasit *Declaratio*; & evasit tunc, cum videtur evadere nequaquam potuisse, si quid in ea displicuisset Sedi Apostolicæ.

Atque hæc satis pro Defensione nostra. Liceat etiam nunc exhibere ac denuntiare Doctrinam Accusatoris.

DOCTRINA
ACCUSATORIS QUERULI
DENUNTIATA.

I.

Bona praxis est, extra casum necessitatis peccatorem absolvere, etsi prius per tempus notabile vitam à criminibus non emendaverit.

Hujus propositionis doctrinam defendit, & contradictoriam accusat Querulus. pag. 7. & 8.

II.

Absolvi aliquis potest, etsi priùs per dignos fructus pœnitentiæ vitam non emendârit. pag. 8. & 9.

III.

Nec cuivis homini, nec Sacerdoti, extra casum justæ necessitatis, absolutio differenda est, donec vitam emendaverit. pag. 9. & 10.

IV.

Juxta ordinarias Dei leges datur peccatoribus conversio cordis

dis interna, quæ in Sacramento ad justificationem requiritur, etsi per opera pœnitentiæ non impetretur. pag. 11.

V.

Non exiguntur magni fletus & labores ad obtinendam remissionem culpæ mortalis & pœnæ æternæ. pag. 11. & 12.

V I.

Ecclesia semper censuit pœnalia opera non ad remissionem culpæ, sed pœnæ temporalis exigi. pag. 12.

V I I.

Ne quidem in Pœnitentiis solemnibus magni illi fletus & labores ante Sacramentalem absolutionem exacti fuerunt. Ibidem.

V I I I.

Ordinariè non nocet Pœnitenti dubiè disposito absolvi. Ibidem.

I X.

Non est justa causa dubitandi de dispositione Peccatoris, qui aliquo tempore se à peccatis continuit, & aliquo modo pœnitentiam fecit. Ibidem.

X.

Non est necessaria in absolvente certitudo moralis de dispositione pœnitentis. pag. 14.

X I.

Ut excusetur quis à novo peccato, dum v.g. Sacramentum Eucharistiæ suscipit, moralis illa certitudo non est necessaria. pag. 16.

X I I.

Æquum non videtur, ut cum olim Sacerdos lapsus in perpetuum, nunc saltem ad tempus valdè notabile ab officii ministerio excludatur. pag. 17.

X I I I.

Talis Sacerdos ante recuperatam diuturno tempore justitiam suo officio restituendus est. pag. 18.

X I V.

Sacerdotum criminosorum non est difficilis & rara conversio. Ibid.

X V.

Credendum facilè Sacerdotibus criminosis dum se pœnitere asserunt. Ibidem.

X V I.

Reprehendendi non sunt Confessarii, qui tales Sacerdotes citò absolvunt. Ibidem.

XVII.

Confessarius non debet in perpetuum removere ab Officio eum Pastorem, qui cum scandalo vulgi criminosus fuit: modò numquam per sententiam condemnatus fuerit, & nunc emendatus sit pag. 20.

XVIII.

Confessarius audiens Confessionem Sacerdotis lapsi, in celebrandi aut administrandi Sacramenta necessitate constituti, non debet sequi regulam hanc, ut non aliâ conditione ei aut celebrationem, aut Sacramentorum administrationem permittat, quam ubi primum necessitas desierit, se ab officio suo removeat, & ad tempus notabile dignam Pœnitentiam peragat, non rediturus ad officium, nisi id expedire judicaretur. pag. 21.

XIX.

Non debet Confessarius interrogare nomen complicis, dum est circumstantia necessaria dici ad integritatem Confessionis. p. 23.

XX.

Non est error, affirmare in aliis locis non esse Ecclesiam, quam ubi praxis legitima in administrando Pœnitentiæ Sacramento servatur. pag. 30.

XXI.

Oportet in animum inducere, tantam Indulgentiarum profusionem, quæ passim in Confraternitatibus proponuntur, à Pontificibus verè emanasse. pag. 36.

XXII.

Non est rarissimum, quod castitas perpetua licitè voveatur ab illis, qui non didicerunt ex casta vita, notabili tempore præcedente, se castitatis donum meritò à Deo expectare. pag. 39.

XXIII.

Ad libertatem requisitam ad actus fidei, spei, & charitatis, necessitas gratiæ admittatur necesse est. pag. 40.

XXIV.

Ut quis peccet non credendo, non sufficit potentia quædam remota ad credendum & amandum, talis quæ potest haberi sine gratia. pag. 41.

XXV.

Non rectè à Sanctis Patribus & Scholasticis dictum est, ut nemo potest sine luce videre, ita sine gratia efficaci nihil benè fieri posse. pag. 42.

Atque

 163

Atque hæc eſt *Accuſatoris Queruli* doctrina, quam Sedi Apoſtolicæ denuntiamus. Suam eſſe negare non poteſt, qui contrariam in nobis non accuſat modò ſed etiam cenſurat. Nos à Cenſuris abſtinemus, ſed repugnare eam Scripturæ ſacræ & Traditioni, ſat oſtenſum eſt ſupra, ubi noſtram iis conformem eſſe probatum eſt. Utramque Sanctæ Sedis judicio humillimè ſubmittimus; & omni, quâ Romanæ Eccleſiæ filios decet, ſubjectione deciſionem præſtolabimur.

APPROBATIO.

TRia genera ſunt erroris quibus homines errant cum aliquid legunt, *inquit Magnus Eccleſiæ Doctor S. Aug. l. de util. cred. c.* 4. *illa ſi Eruditi quique, prout par eſt, caviſſent, non tot & tantæ diſſenſiones inter ipſos, factiones, & ſcandala ſuccreviſſent; quæ mala necdum ceſſarunt ut patet ex hoc Scripto, quo juſtæ defenſioni, modeſtè conſultum eſt contra varias circa Alterius Scripta aberrationes; nihil contra fidem aut bonos mores occurrit, ſed potiùs aliqua pro Puritate Sacerdotum, pro Caſtitate conjugatorum, pro Utilitate pœnitentium &c. quæ omnia cum S. Sedis judicio ſubmiſſa ſint; hanc quoque ſuper his, ſub ejus beneplacito, expanſam mentem meam, ſubjectam volo. Dabam* 22. *Novemb.* 1698.

JOAN. LE BEAU S. Adalberti
Curio-Decanus Exam. Synod. Leod.